BnF Gallica

# De Byzantino hippodromo et circensibus factionibus : facultati litterarum Parisiensis thesim proponebat / Alfred [...]

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

{BnF Gallica

Rambaud, Alfred (1842-1905). Auteur du texte. De Byzantino hippodromo et circensibus factionibus : facultati litterarum Parisiensis thesim proponebat / Alfred Rambaud,.... 1870.

**1/** Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
- La réutilisation non commerciale de ces contenus ou dans le cadre d'une publication académique ou scientifique est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source des contenus telle que précisée ci-après : « Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France » ou « Source gallica.bnf.fr / BnF ».
- La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service ou toute autre réutilisation des contenus générant directement des revenus : publication vendue (à l'exception des ouvrages académiques ou scientifiques), une exposition, une production audiovisuelle, un service ou un produit payant, un support à vocation promotionnelle etc.

CLIQUER ICI POUR ACCÉDER AUX TARIFS ET À LA LICENCE

**2/** Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

**3/** Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

- des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
- des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

**4/** Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

**5/** Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

**6/** L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

**7/** Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter **utilisation.commerciale@bnf.fr**.

INVENTAIRE
J 20974

J

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

NVEN
20

NVENTAIRE
20,974

# DE BYZANTINO HIPPODROMO

ET

# CIRCENSIBUS FACTIONIBUS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

ALFRED **RAMBAUD**

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN JURE CIVILI LICENCIATUS, UNIVERSITATI GALLICÆ AGGREGATUS

(RÉPÉTITEUR A L'ÉCOLE DES HAUTES-ÉTUDES)

PARIS

A LA LIBRAIRIE A. FRANCK

F. VIEWEG, PROPRIÉTAIRE

Rue Richelieu, 67

—

1870

# DE BYZANTINO HIPPODROMO

ET

# CIRCENSIBUS FACTIONIBUS

J

20974

# DE BYZANTINO HIPPODROMO

ET

# CIRCENSIBUS FACTIONIBUS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

BIBLIOTHÈQUE IMPÉRIALE IMPR.

DÉPÔT LÉGAL. Meurthe 92 977. 1869

**ALFRED RAMBAUD**

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN JURE CIVILI LICENCIATUS, UNIVERSITATI GALLICÆ AGGREGATUS

(RÉPÉTITEUR A L'ÉCOLE DES HAUTES-ÉTUDES)

PARIS

A LA LIBRAIRIE A. FRANCK

F. VIEWEG, PROPRIÉTAIRE

Rue Richelieu, 67

1870

C.

WLADIMIRO

# BRUNET DE PRESLE

INSTITUTI GALLICI SOCIO

DOCTISSIMO RERUM BYZANTINARUM INDAGATORI

ID OPUS DICAVIT

A. Rambaud

# DE CIRCENSIBUS FACTIONIBUS

## PROŒMIUM.

### QUID FUERIT APUD BYZANTINOS HIPPODROMUS.

De Hippodromi Byzantini (1) situ et figura multi scripsere (2).

Nunc vero quanta res in Byzantinorum vita ac moribus Hippodromus fuerit, quantumque locum apud eos tenuerit, paucis verbis in proœmio dicere, postea de circensibus factionibus acturo, mihi in animo est.

Byzantini Hippodromi insculptam quamdam imaginem, a Panvinio primum editam, a Bandurio postea repetitam, nemo non vidit. Quæ, quamvis locorum conditionem minus exacte referat, adeo ut, exempli gratia, neque Ægyptium obeliscum et lapideum Colossum, nunc etiam superstites, in ea reperire, neque ex eadem justam

(1) Duo fuere Byzantii Hippodromi: unus, magnus ille Hippodromus, alter, Sancti Mamantis. Neque hic magis quam ille atrociorum rerum expers: in Sancti Mamantis circo, Copronymus, anno 761, Andream Calabytem monachum, quod ipsum « Valentem juniorem ac Julianum alterum » vocitaverat, verberibus contusum, interfici jussit. Theoph. anno 6253, p.667. — In eodem circo, Michael III, veneto ipse habitu, aulicisque aurigarum partes tenere jussis, equestribus certaminibus adeo totus incumbebat, ut de Arabicis in imperium incursionibus admoneri nollet, ignesque in montibus Asiatici littoris positos exstingui juberet. Theophanis Continuator, in M. III, c. 34, p. 197; Sym. Mag. c. 46. p. 681.

(2) Cf. ad calcem libri indicem bibliographicum.

imperatorii *cathismatis* imaginem sibi fingere liceat : tamen in hoc maxime studium nostrum requirit, quod centum fere annos ante Constantinopolim a Turcis captam(1) delineata fuerit. Ex quo manifeste apparet Hippodromum, Byzantino Imperio nondum etiam everso, jam neglectum, jam contemptum, jam ruderibus constratum fuisse. Magna urbs illa, supremæ calamitatis quasi jam præscia, antiqui decoris monumentum illud spreverat, ludis et circensibus vale dixerat, funereamque quasi vestem induta, cinere et ruderibus ornata, se morti proximæ concinnaverat (2).

Multo etiam tristiora, LXXI annos post captam urbem, Gyllius noster (3) in Hippodromo vidit. Hinc « as- » peri illi statuarum et omnis Vitruvianæ artis hostes », Turcæ scilicet, « Hercule ipso validiores », quippe qui Herculeas statuas everterent ; illinc indocti Græculi, jam barbari barbaris servientes, antiquæ majorum historiæ nescii, quique Gallo homini, de columna Platæea et de æreis serpentibus percontanti, nihil nisi ineptias et aniles historias referebant; hinc Veneti, ut Antonius ille Priolus, jacentes obeliscos, ad ornanda Adriaticæ reginæ templa, emebant (4); illinc, opifices, Turcicorum ædilium aut potius eversorum jussu, ærea signa ad conflanda tormenta auferebant, ionica capi-

(1) In ea enim tabula scriptum legitur : « Circi, sive Hippodromi Constantinopolitani, ab imperatore Cæsare Flavio Constantino ædificati, quidquid, centesimo ante anno quam a Turcis urbs occupata est, supererat. » Et tamen, Gregorio XIII pontifice, delineata fuit.

(2) Bondelmonti, qui circa annum 1422 Constantinopolim invisit, *Liber Insularum* ad intelligendam hanc delineationem adhibendus.

(3) Pierre Giles, anno 1429, Constantinopolim invisit : cujus *Topographia* in Bandurii *Imperio Orientali*, t. II, edita.

(4) De empto ab Antonio Priolo, Solimani temporibus, Primæ Collis obelisco, videndus Byzantios, *Constantinoupolis*, p. 237.

tula in modum pistrini excavabant, marmoreas columnas in balneorum pavimenta serra secabant : magnificus ille Hippodromus pro lapicidinis ac fodina marmorea barbaris habebatur (1). Lacrymas modo non tenebat Gallicus artium amator. Nec jacens in ruderibus Hippodromus magis illum angebat quam profanata rudera. In manibus versabat aureum quoddam nomisma, cujus in una facie triumphans in Hippodromo de Vandalico rege Belisarius et a Justiniano splendide exceptus effingebatur, in altera scriptum fuerat, quo sane amarior appareret illa Romanarum rerum deformitas et ruina : « Gloria Romanorum » (2).

Sed taceatur de magna illa quintidecimi sæculi ruina, quæ Gyllio frigus injiciebat (3) : ad Justiniani et Heraclii tempora remigremus ; fugiant isti barbari, quos equestris illa Justiniani Augusti statua, magnifice in foro Augusteone posita, manu una mundi universi globum tenens, altera Orienti minabunda (4), ultra Euphratem continere aut repellere debuisset; e pulvere exsurgant altæ columnæ; exsurgant marmorei (5) ingentes gradus, redivivo Populo Regi splendida sedilia ; hinc flava arena, cedrino pulvere mixta, solis radiis repercussa splendeat, floribusque ab Eparcho (id est Præfecto Urbi) recens conspersa redoleat; immensumque super Cir-

(1) Eodem fere modo in sexto decimo etiam sæculo agebatur. Hammer, p. 129.

(2) Gyllius, apud Bandurium, l. II, c. 11-13.

(3) « Nunc vero Circus Constantinopolitanus friget, omnibus ornamentis spoliatus. »

(4) Procopius, *de Ædif.* I, 2, p. 181. — Cedrenus, t. I, p. 656. — Codinus, *de Originibus*. — Anonymus, ap. Bandurium, t. I, p. 79, — Georgius Pachymeres, *Descriptio Augusteonis*, ibid. p. 115. — Gyllius, l. II, c. 17, p. 381. — Labarte, p. 35-36.

(5) Hammer, p. 129.

cum, super multa millia spectantium capitum, Bosphorana aura mulcente, fluctuent immensa vela, e Serum regione magna impensa arcessita aut in imperialibus ἐργοδοσίοις elaborata; serpentinæ columnæ tria sua capita restituamus, super capita tripoda, super tripoda Apollineam statuam (1), magnificum Platæeæ victoriæ monumentum Delphis a Pausania dicatum; restituantur lapideo Colosso ereptæ æreæ tabulæ, quibus nudatus, ut ossea quædam larva, friget, horret, ruinamque minatur (2). Imo sedeat redux in imperiali cathismate Imperator, corona, veste, sceptro, throno, gemmis margaritisque, ut sol quidam, effulgens (3); in *stamate*, gestantes signa labaraque et victoriolas, *scholares* (4); squamatis loricis *hetæristæ*, e Russia, Khazaria, Phargania, Turcia evocati; aureis spathis *spatharii*. Sancti Stephani vicini templi e fenestris, splendida Augusta, splendida matronarum et eunuchorum aula præcincta, per tenuissima Asiatica vela ludos spectatura, videns nec visa, transluceat (5). Scatere incipiat circensis *Phiala*, post circensia naufragia, debilitatis aurigis salubrem laticem ministratura (6). In *carceribus*, fremant frenumque mandant sonipedes, sonent currus ærei, pronusque auriga, prasina aut veneta veste insignis, margaritis et auro regis instar ornatus, projectam *mappam* datumque

(1) ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ καὶ αὐτὸ τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἄγαλμα. Zosime, II, 31.

(2) ὡς γυμνὸς σκέλετος. — *Constantinias*, p. 78. — Byzantios, p. 244.

(3) Imperatori etiam, ut Soli, ἀνάτειλον a factionibus acclamabatur. *Cærim*, I, 69, p. 316.

(4) *Cærim*. I, 92, p. 418; I, 94, p. 431.

(5) Bondelmonti. — Labarte, p. 67. — Procopius tamen, *Pers*. I, 24, p. 119, ait « mulieres spectaculis omnino abstinere. » — Erasme Müller, t. II, p. 61-64.

(6) Anon. in Band., t. I, p. 42. — Bondelmonti. — Labarte, p. 50-51.

signum expectans, impatientes moræ equos impatiens ipse contineat.

Hoc fuit Byzantinæ vitæ magnum diversorium; in hoc voluptati et iræ, favori et odio, circensibus ludis et civili bello, per tot sæcula Romanus populus indulsit.

Hic Anastasius a rebelli populo conviciis et lapidibus petitus; hic Justinianus de summa rerum periclitatus; hic Mauricius, appropinquante Phoca, populi minas audiit; hic Justinianus II, jubente Leontio, naso amputatus; hic Rhinotmetus ille, meliori usus fortuna, inclinatorum et pronorum in terram Leontii et Apsimari cervices, acclamante populo, purpureis caligis terebat et calcabat; hic Michaël Calaphates, violato in Zoem filialis venerationis jurejurando, populum, erectis in Porphyrogenitam feminam studiis furentem, alloqui frustra conatus, lapidibus in ipso cathismate et sagittis petitus, imperium et libertatem et visum amisit (1); hic Andronicus Comnenus, manu amputata, oculo effosso, virilibus exsectis, omni cruciatu et injuria affectus, scabioso camelo impositus, aqua fervida inspersus, ad finem pedibus suspensus, miserabilem animam efflavit (2).

Multa in Hippodromo antiquas populi in imperatores victorias commemorabant; multa etiam cruentas in populum imperatorum vindicias. Ibi enim *Nekra,* id est porta Libitina, videbatur, prope quam, post victas a Belisario et Mundo factiones, triginta quinque aut quadraginta millia corporum, quibus legitima sepultura deerat, deposita fuere (3).

Nec, cum sancto et christianissimo Byzantino Imperio

(1) Cedren. II, 538.
(2) Nicetas, p. 457-58.
(3) Anon. in Bandurio, n° 117.

Othmanicum successit Hippodromusque in Atmeidanum mutatus, ab hujusmodi tumultibus cessatum. Hic *Jenitcheri, «ortarum,»* ut dicunt, ollis eversis, res novas meditabantur. Teste Theodosiano obelisco, teste Constantini Porphyrogeniti lapideo Colosso, in vetere illo Byzantinorum Hippodromo, de morte et vita Turcicorum principum a milite ac plebe deliberatum. Neque Libitinæ Portæ infamem famam aboleri situm : easdem nempe Hippodromi æreas portas, quas ariete Mundus et Belisarius concusserant, ignivomis tormentis Husseïn-Pacha fregit, eademque loca, quæ Venetorum ac Prasinorum sanguine, sexto sæculo, maduerant, Jenitcherorum adversus Mahmudum rebellantium, undevicesimo nostro sæculo, cruore redundaverunt.

Non solum vi populi aut militum principes in Hippodromo dejiciebantur ; at etiam, legitimo clerorum, magnatum, militum ac plebis consensu, imperatores coronabantur.

In Hippodromo, Leo II a Leone I, Zeno a Leone II filio suo; Anastasius, ab Ariana Augusta, Zenonis defuncti uxore, imperator fuit proclamatus (1). Ibidem, inter Joannem tribunum ac Justinum Thracem divisa plebs ac militia, jactis lapidibus ac jaculis, rem agebat; postea, animis in unum conversis, Justinum, in militari scuto erectum, imperatorem omnes declaraverunt (2).

Byzantinus Hippodromus res profana non erat. Circo fides orthodoxa sese accommodabat, sicut Olympico olim stadio antiqua Græcorum religio. Imperator e cathis-

(1) *Cærim.* I, 92.
(2) *Cærim.* I, 93.

mate populum, hippicæ cujusque solennitatis initio, cruce signabat; e gradibus suis populus imperatori, eodem crucis signo, gratiam referebat. Ecclesiastici hymni, psalmorum atque hosannæ cantus, argenteæ cruces et sanctorum relliquiæ non magis Circum quam Sanctæ Sophiæ templum dedecebant. Plerique hymni qui a factionibus decantabantur, quique ad nos, in *Cærimoniarum* libro scripti, pervenerunt, Sanctam Trinitatem et equos, Sanctam Deiparam et currus, Michaelem Gabrielemque archangelos et Uranium Olympiumque aurigas miris modis miscebant. Sanctorum Apostolorum et Sanctæ Sophiæ cantores in iisdem sedilibus cum factionum cantoribus sedebant. Quin ipse Patriarcha cum omni clero in Hippodromum aliquando descendebat, ibique Imperatoribus coronam imponebat (1).

In Circo de externis atque intestinis hostibus aut inimicis triumphabatur. Justinianus II Leontium atque Apsimarum calcavit, vociferante populo : « Super » aspidem et basiliscum ambulasti, et conculcasti leonem » et draconem (2) ».

In Hippodromo etiam Gelimer, Vandalorum rex, quum in Belisarii triumpho ad Imperatorem adductus esset : « Proh vanitatem vanitatum! » exclamavit, purpuraque et corona depositis, Justinianum adoravit (3).

In nono ac decimo etiam sæculo multi auctores, Basilium Macedonem, Constantinum Porphyrogenitum,

(1) Non apud Byzantinos tantum, sed et apud Turcos, in Hippodromo sacræ *προελεύσεις* celebrantur : magnam enim panegyrim Musulmanorum Mecquam petentium in Atmeïdano ibi quotannis spectare licet. — Hammer, p. 143.

(2) Theoph. anno 6198, p. 574.

(3) Paulus Diaconus, l. II.

Nicephorum Phocam, Joannem Zimiscem, Basilium II, de Manichæis, Arabibus, Bulgaris, in Hippodromo eodem ritu, triumphasse memorant. In *Cærimoniis Aulæ Byzantinæ,* quo ordine captivi ac spolia ante imperiale cathisma proponi, ducesque Saraceni sub purpurea Imperatoris caliga prosterni, qualesque a populo acclamationes in honorem Dei ac principis decantari debeant, exactissime describitur (1).

In Byzantino Hippodromo jus reddebatur; sedebant judices (2). Laus datur Bardæ Cæsari quod judicia quæ in Circo agebantur crebro visitaret. Nec judicia tantum, sed et *secreta* (3), per quæ imperium administrabatur, ibidem locum habuere.

Damnati pœna ibidem afficiebantur. Locus ille, qui voluptatibus ac ludis dicatus videbatur, suppliciorum ac doloris area fuit. In funda (4) Circi, carnifex hominibus aut ardens ferrum inurebat aut oculos effodiebat, aut labia et nares exsecabat (5).

Hic regnante Copronymo (a. 743 et 767), duo Patriarchæ indigne habiti : Anastasius scilicet, Constantinusque.

(1) *Cærim.* II. 20, 21, p. 612 et seq.; I, 69, p. 332. Vide nostram gallice scriptam de Constantino VII Porphyrogenito commentationem. Paris, 1870.

(2) Lydus, *de Mag.* III, 19. — *Cærim.* I, 69, 360. — Mortreuil, *Hist. du Droit Byzantin,* t. III, p. 89 : ὁ κριτὴς τοῦ Βήλου καὶ τοῦ Ἱπποδρόμου. — Theoph. Contin. in M. III, 30, p. 193. — Cedren. II, 171.

(3) Cedren. II, 157 : « Fuga salutem parare conatus, versus Circum « ad asecreteia (ibi enim tunc τοῖς ἀσηκρήτοις palatium erat) cursu con- « tendit. »

(4) σφενδόνη.

(5) Suppliciisquene, an triumphis, annumerandum quod, imperante Anastasio I, accidit? Longinus enim Isaurus ejusque socii, sive ut hostes victi, sive ut rebelles puniendi, collis ac manibus ferreis catenis implicitis, per medium Circum, velut triumphali pompa, traducti sunt. Evagrius, III, 35, p. 366.

Illum, ut Artavasdi rebellionis conscium, una cum Artavasdo filiisque atque amicis ejus, oculis privatum, asinoque, facie ad caudam versa, impositum per medium Circum traduci jussit Copronymus; eumdemque postea, Iconoclastarum utpote sectatorem, in episcopalem thronum, quasi patriarchali ejus dignitati turpis ille triumphus nihil derogasset restituit (1). Nec mitior in Constantinum Patriarcham Copronymus : quem iisdem conviciis ac cruciatibus actum, ludibrium plebeculæ proposuit (2).

Taceam de XIX magnatibus, quos idem princeps sanctarum imaginum tenaciores observatores simili triumpho in Circo traduxit (3). Nec cruenta tantum, sed et ridicula imaginum cultoribus supplicia intentabat Copronymus : ut monasticum enim habitum institutumque omnium oculis contemnendum proponeret, quosdam monachos, singulos cum mulieribus manu apprehensis, dum ipsos plebs omnis exsibilaret, in arena obambulare jusserat (4).

Regnante Theophilo, severo illo judice, die quadam Byzantinus populus, ad spectanda circensia congregatus, improvisum ac terribile spectaculum stupuit. Præpositus nempe Sacro Palatio viduam mulierem nave satis magna fraudaverat, appellationesque mulieris ad Imperatorem interceperat. At mimi factionum, mulieris precibus commoti, fabricatam naviculam prope imperatorium cathisma constituere et sic inter se colloqui incœperunt :

(1) Theoph. anno 6235, p. 648. — *Miscella historia.* — Cedren. — Zonaras, etc.

(2) Theoph. anno 6259, p. 681. — Nicephori Patriarchæ *Breviarium.* — *Miscella historia.*

(3) Theoph. anno 6257, p. 676.

(4) *Ibid*, p. 676. — Cedren. t. II, p. 14. — Zonaras, XV, 7.

« Agedum, » aiebat unus ad alterum, « os aperi, naviculam ingurgita. — Non possum. — Quid? Nicephorus Præpositus tantam, etiam oneratam, mulieris navem devoravit : tu tantulam recusas ! » Hæc Aristophanica comœdia tragicum exitum habuit. Rem enim inquisiit imperator, certiorque de iniqua re factus, Præpositum arcessivit et, non exspectatum spectaculi embolium, horrente populo, vivum extemplo in funda Circi comburi jussit (1).

Regnante eodem Theophilo, iidem viri qui, Leonis Armenii cæde, patri ejus ipsique coronam pepererant, parricidii in principem admissi ab ipso parricidæ herede pœnam tulere (2). Imperante Michaele III, qui, conscia Theodora imperatrice, adversus Bardam Cæsarem conspiraverant, ἐν τῇ σφενδόνῃ, capite mulctati (3).

Basilii I temporibus, mos erat ut qui exercitum deseruerant, in Hippodromo verberibus cæderentur. Quadam die etiam, quum desertores capi nequirent et necesse videretur ut desertionem meditantibus terribile exemplum proponeretur, Agareni captivi, capite velato ne dignosci possent, absentium scelus expiavere, aliisque parata in Circo supplicia subiere (4).

Nec in vivos tantum, in defuncta etiam corpora sævitum. Joannis enim patriarchæ Copronymique imperatoris, utriusque imaginibus in vita sua inimici, corpora e sepulchro educta perque aliquod tempus in prætorio, ut maleficorum, inclusa, in Circo verberibus

(1) Anon. in Bandurio, nº 86.
(2) Georg. Mon in Theophilo, c. 2, p. 791.
(3) Sym. Mag., c. 13, p. 658.
(4) Const. Porph. *Vita Basilii*, c. 62, p. 303.

affici jussit Michaël III (1) : illaque ossa, et patriarchali et imperiali purpura quondam honorata, plebeculæ ludibria proposuit, et, suo ipsius damno, imperatores non inviolabiles esse docuit.

In eodem denique Circo illustris quidam Manichæorum doctor, qui diu cum Alexio Comneno de doctrina sua collocutus esset, neque ab erudito imperatore ad orthodoxam fidem revocari potuisset, periculosum esse sensit cum eo « qui triginta legionibus imperaret » disputare, vivusque in busto impositus periit (2). De miserrimo Andronici fato jam supra dictum.

Sed et aliis spectaculis populus in Hippodromo delectabatur. Si de superiori Circi porticu, quod περίπατος vocabatur, in meridiem prospiceres, grandia maris miracula spectares, omnium gentium, Syrorum, Italorum, Arabum navigia, Slavorum monoxyla, Russorum carabia, Regiæ Urbi merces, aurum, divitias inferentia; Asiaticæ ripæ cupressos, villasque ac palatia, et longinqua Bithynii Olympi cacumina ; sole splendente, immensum, ut ait Æschylus, maris risum; adeo tenuem ac purum aera, adeo proximum mare, ut non navigia tantum, sed et delphini e fluctibus exsilientes perspicerentur (3).

Si ad septentrionem, tum oculos in se avertebant Sacri Palatii templa, ædes, porticus, turres altæ; Sanctæ Sophiæ fulgebat aureum, immensum, portentosum hæmispherium, aliis ipsum æreis tholis suffultum, atque in miram altitutinem, unde longe lateque per Asiam atque

(1) Sym. Mag. c. 45, p. 681, etc.

(2) Anna Comnena. — De Anastasii cujusdam monachi, qui cum alio imperatore disputasset, supplicio, Cf. *Enarrationes chronicæ*, n° 287, in Bandurio, t. I, p. 100.

(3) Gyllius, ap. Bandurium.

Europam dominari videretur, triumphantem crucem erigens. Quam longissime conspectum oculi ferrent, tot millibus ædium tectis, radiantibus ecclesiarum ac monasteriorum tholis, triumphalibus arcubus atque columnis, ad quorum culmen ærea victricium legionum et captivorum Scytharum agmina, captivos deos et captiva spolia sequentium, festinare viderentur, equestribus denique Romanorum imperatorum signis, turribus pyramidibusque atque obeliscis, Urbs illa, omnium urbium regina, horrere ac splendere videbatur, spectantique oculos præstringebat animumque inaudito spectaculo quodammodo perterrebat.

Si oculos in arenam spinamque Circi revocares, surgebat hinc magnus ille lapideus obeliscus, a Constantino Porphyrogenito restauratus, dignusque, ut ait epigramma in ipso inscriptum, qui Rhodii colossi famam æquaret (1); illinc Thebanus alter obeliscus a Theodosio ex ima Ægypto advectus atque in Nova Roma erectus, quique, extraneis mitratarum avium cynocephalorumque deorum figuris et magicis quasi characteribus insculptus, populo admirationem et religiosum quasi terrorem incutiebat, temporaque testabatur quibus ad Nilum simul atque ad Euphratem Romanæ legiones castra tenebant (2). Juxta hoc Romanæ potentiæ monumentum, antiquam Græciæ gloriam testabatur serpentina

(1) De Colossi inscriptione ac de ipso Colosso : Gyllius (in Bandurio, I, 376) II, 12, ubi inscriptio cum quadam menda legitur. — *Constantinias*, p. 78. — Byzantios, t. I, p. 344. — Hammer. — Bourquelot, p. 5. — Bondelmonti. — Labarte, p. 50. — *Corpus inscr. græc.* t. IV, nº 8703, p. 327.

(2) Byzantios, p. 237, *Constantinias*, p. 75, quid significent illa hieroglyphica elucidant. — Iisdem fere auctoribus quam supra adde Ducangii *Constantinopolim Christianam*, p. 105 ; D'Agincourt, *Hist. de l'art*, t. IX, sculpture, pl. 10.

columna, a Pausania, post partam apud Platæas victoriam, in Delphis dicata, fatisque volentibus Byzantium advecta. In æreis Platæei draconis spiris, Lacedæmoniorum, Atheniensium, Corinthiorum, Tegeatarum, XXXIII scilicet populorum, veteris majorum gloriæ curiosi si fuissent, legere potuissent Byzantini (1). Quid de tot triumphalibus, in Hippodromi spina erectis, monumentis disseram ? Spina enim omnis præteriti splendoris reliquias servabat : Romanæ gloriæ ut Musæum quoddam stabat.

In spina, in *Euripo*, in *Peripato*, in portis ac porticibus Hippodromi, magnus quasi statuarum populus convenerat. Nam Phidiæ ac Periclis Græcia, Athenæ scilicet;— Asiatica Græcia, Cyzicus, Tralles, Sardes, Attalia, Tyana, Chios, Nicæa, Iconium ; — Hieronis ac Dionysiorum Græcia, Sicilia ; — Ptolemaica Græcia, Ægyptus, in novæ Græciæ novam metropolim, Constantini Magni extemporaneam Romam, quidquid pretiosi et miraculosi habuerant, orbatæ invitæque, miserant. Roma ipsa Tiberina, ad Bosporanam Romam decorandam, gentium spoliatrix, spoliata fuerat. Vetus Roma novæ Romæ decus suum et ornamenta, ut emerita matrona venustæ puellæ, tradiderat : Byzantio restituerat quæ ex Athenis et Olympia furata fuerat (2).

E Græcarum urbium mœnibus ac portis erepta fuerant portentosa signa divinæque statuæ, quibus adhærere vi-

(1) Herod. IX, 81. — Pausanias, X, 13, 5. — Plutarchus, *Themist.* c. 20.— Zosimus, II, 31. — Bondelmonti. — Gyllius, p. 377. — *Constantinias*, p. 77. — Byzantios, t. I, p. 242. — Foucart, p. 39-41. — Bourquelot : *La Colonne Serpentine à Constantinople.* — Labarte, p. 50. — Brunet de Presle, *Notice sur les tombeaux d'Empereurs byzantins*, 1856. — A. Dumont : *Notice sur le Musée de Sainte Irène.* — Déthier et Mordtmann. — Salaeddin Bey : *La Turquie à l'Exposition.*

(2) Anon. in Bandurio, l. III, *initio*, -- Codinus, *de Originibus*.

debatur municipii fortuna. Quot civitates palladia sua amiserant! Quot urbium quasi animæ, ære inclusæ, in Hippodromo Byzantino exsulabant ! quot signa, quæ humanis sacrificiis humanoque cruore expiata fuerant, quæque proconsulum ipsorumque Imperatorum rapaces manus, terrore quodam religioso, continuerant, nunc sine adoratoribus, sine sacerdotibus qui ea cedrino oleo ungerent ac thure honorarent, in peripato vel spina, ignotum vulgus, torpebant.

Certe latius ipso Ulysse erraverunt aurati illi equi, uni currui juncti, qui ab insula Chio, Theodosio II jubente, Byzantium advecti, Venetiis Lutetiæque fatales hospites destinabantur (1).

Hinc et illinc Regum atque Imperatorum Romanorum series quædam : in columna mediæ phialæ eminente, stabat Irene Atheniensis (2) ; aliunde Leonis I uxor Verina; Roma advectus Augustus, Nicomedia Diocletianus; equestris Gratianus, Valentianus, Theodosius (3), Justinianus (4). Hic asinus et asinarius qui Augusto Actianam victoriam portentaverant; illic lupa ærea, Romuli nutrix. In Circo tota Romani populi historia, a prima origine usque ad vergentes annos, non scripta, sed sculpta stabat. Dii, juxta semideos imperatores, apparebant. Christianus atque Homericus Olympus suos ibi heroas ac deos habebant : Adamum et Herculem, Evam et Helenam (5).

(1) Nicetas, *Urbs capta*. — *Enarr. chron.* nº 302, in Bandurio.
(2) Anon. in Band. nº 117.
(3) Cod. nº 60. — Anon. in Band. nº 114.
(4) In quo inscriptum epigramma fuit : quod in *Anthologia*, edit. Jacobs, t. II, p. 643, legi potest. — Ibidem Anastasio signum fuit positum. Lydus, *De Mag.* III, 46, p. 241.
(5) De Hippodromi signis, Cf. Hammer, p. 132.

Quem oderat populus, hic ludificabatur ac traducebatur ; hic plebs in principum memoriam malignas vindicias exercebat ! Informe ibi monstrum erat quod feras generabat hominesque devorabat : quemlibet Byzantinum civem si interrogares, Justinianum II tyrannum esse respondebat (1). Testatur Lydus in Anastasii imperatoris statua, ut in papalis Romæ Pasquino, satiricos versus inscribere Byzantino populo morem fuisse (2.)

Ex his monumentis, alia risum movebant : sic gibbosus Firmianus, ibi πρὸς γέλωτα positus (3). Alia terrorem incutiebant. In eunuchi cujusdam pectore scriptum legisses : « Qui me loco moverit strangulabitur (4). » Non longe ab Hippodromo Phidalia quædam videbatur : quam cum imperator quidam loco movisset, terra subito succussa tremuit, nec prius succuti cessavit, quam Sanctus Sabas precibus cœlum placaverit (5). In portu Neorio, ingens æreus bos videbatur : qui semel tantum in anno mugiebat, numquam sine magna urbis calamitate (6). Hic Tyanæus Apollonius sui vestigia reliquerat : ut serpentes enim, urbi nimium incommodos, fugaret, aquilam æream erexerat, cujus unguibus torquebatur serpens; nec Mosis æreo serpente inefficacior fuerat. Ut quædam monumenta de præteritis temporibus, ita quædam de futuris admonebant. Idem Apollonius in ærea porta Hippodromi « supremi diei historias inscripserat (7). » Æque mirabilia alius

(1) Codinus nº 61. — Anon. in Band. nº 114.
(2) Lydus, *de Mag.* III, 46, p. 241.
(3) Anon. in Band. nº 114.
(4) Gyllius, p. 378.
(5) *Enarr. Chron.* in Band. nº 232. — Codinus, nº 67, etc.
(6) Codinus, nº 68.
(7) τῶν ἐσχάτων ἡμερῶν τῶν μελλουσῶν πᾶσαι ἱστορίαι. Cod. nº 62.

philosophus Asclepiodorus, regnante Anastasio, in statua quadam, quæ mentum manibus fulciebat, legerat : nam interroganti imperatori respondisse dicitur : « Melius est futura tibi non dicere; melius mihi fuisset si hæc non legissem (1). » Ægyptius ipse obeliscus ignotis characteribus mira portendere credebatur. Ipse Platæeus triceps draco opus magicum esse credebatur. Frustra sese erga omnes humanum exhibebat Pythii serpentis nepos ille ; frustra, immemor heroum ac deorum, quibuscum conversatus erat, immemor belli ac victoriæ, tropæorumque Persicorum, Byzantino populo in festis diebus aquam et lac atque vinum triplici ore ministrabat (2) : dæmoniacæ tamen virtutis non expers credebatur. Hunc, regnante Theophilo, Patriarcha Joannes, in occultis scientiis nimium versatus, cupiensque tres viros imperatori præcipue inimicos perdere, tetra nocte intempestaque hora, et magico apparatu, dispositis tribus hominibus qui tria draconis capita, signo dato, malleo ferirent, duobus capitibus ipsum mulctavit (3). Potesrius, nec a minus superstitiosis, reposita capita. Tandem Othmanicus quidam princeps (4), Joannem Patriarcham imitatus, in miserum Platæeæ pugnæ testem sæviit,

(1) *ἀγαθὸν μὴ φράσαι τά ποτε μέλλοντα γίνεσθαι ἢ ὡς ἐμοὶ ἆρα κέρδος ἦν τὸ μὴ ἀναγνῶσαι.* Cod. nº 65. — De fama Tyanæi Apollonii apud Arabes et de portentosis signis ab ipso Romæ fabricatis, *Journal asiat.*, mai, juin 1865, p. 485. — Chassang : *Apollonius de Tyane.*

(2) Jean Carlier de Pinon, qui Byzantium invisit anno 1579, apud Bourquelot citatur. — Idem Bondelmonti testatur.

(3) Theoph. Contin. in Theophilo, c. 7, p. 15.

(4) Mahomet II, si Hammero, t. I, 134, crederetur. — Bourquelot, p. 27, contrarium demonstrat : Solimanum II aut Mouradum IV fuisse arbitratur. — Tournefort, t. II, p. 9. — Unius horum capitum pars superior, antiquæ Græciæ mirabile opus, in Sanctæ Irenæ *Musæo* Constantinopolis hodie asservatur. Albert Dûmont, *Le Musée Sainte-Irène* à Constantinople, dans la *Revue archéologique*.

atque unum caput fregit : at serpentes rursus, ut Apollonii temporibus, magica veluti catena soluta, in Urbe pullulasse dicuntur (1).

Usque adeo christiani Byzantini, veterum Hellenum nomen, ut paganorum, christiane aspernantes, paganas tamen superstitiones retinuerant!

Quid plebs indocta in his monumentis quæreret, jam diximus; sed quid artium amatores in iisdem mirarentur, dicatur. Aut potius audiatur Nicetas Choniates, Lysippii Herculis et venustæ Helenæ, a barbaris Francis in monetam fusorum, exitium deplorans ac lamentans. In modum colossi stabat Hercules ille, cujus pollicem hominis zona vix amplexa fuisset; sed vi fati oppressus, omissa pharetra et clava, hiante tantum leone galeatus, manu mentum fulciens, demissisque oculis, exantlatos, exantlandos labores, importunumque Euryalem, tristis meditabatur. Quid de Helena quæ, licet ærea, « tota hu-mesceret ac vernaret et ad sui amorem pelliceret? » Et tamem barbaros non mitigavit (2)!

Byzantino populo Hippodromus omnia erat. Hic imperatores et fiebant et cadebant ; jus reddebatur; de hostibus triumphus, de inimicis et sontibus pœna sume-

(1) Hammer, *ibid.* — Byzantios, p. 243, narrat Turcos nunc etiam Plateæum draconem, ὅταν τὸ πρωτοΐδωσιν, lapidibus petere.

(2) Nicetas, *Urbs Capta*, c. 5, p. 860, 863. — Audiendus et Arabs Edrisius de Hippodromi miraculis, quorum fama apud omnes gentes dispersa : « *Ce cirque est le plus étonnant qui existe dans l'univers. On y marche entre deux rangs de statues de bronze d'un travail exquis, représentant des hommes, des chevaux, des lions, etc., sculptés avec une perfection de nature à faire le désespoir des artistes les plus habiles. Ces figures sont d'une taille plus haute que la grandeur naturelle.* » Edrisi, trad. Jaubert, t. II, p. 299. — Multæ etiam lapideorum aut marmoreorum monumentorum relliquiæ in Sanctæ Irenæ Musæo, supersunt. Albert Dumont, *Le Musée Sainte-Irène*.

batur; grandia naturæ atque artium spectacula; amori gloriæ et τοῦ καλοῦ, præteritarum ac futurarum rerum cognoscendarum studio, religioni ac superstitioni, vitiis populi ac virtutibus, omnia blandiebantur. Byzantinis Hippodromus non Circus tantum, sed et forum Romanum, et Atheniensis agora, et Capitolium, et Pœcilus, et Olympicus stadius erat. Tria fuere Byzantii ædificia, præcipua artium miracula: Imperatori suum erat Chrysotriclinium; Deo, sua Hagia Sophia: populo, suus Hippodromus.

Omnium Byzantinorum ædificiorum antiquissimus Hippodromus: et nunc etiam quot ædificiis superstites Obeliscus et Colossus et spina exsistunt! Primus ergo in urbe et ultimus: Constantinopoli anterior ac superstes.

Quum Severus imperator pristinam in Byzantinos sævitiam mitigare vellet, principio Hippodromum creavit. Quum incœptum a Severo opus Constantinus perficere statuit, in Hippodromo nihil mutavit: ut quem non indignum Urbe, mundi universi futura metropoli, condidisset Severus; sed ad Cathismatis lineam, imperiale Palatium ædificavit. Quum Hagiam Sophiam suam meditatus est Justinianus, accommodatam Palatio et Circo ecclesiam construxit. Urbs reliqua Palatio et Templo sese accommodavit.

Sic et Palatio, et Templo, et Urbi, Hippodromus legem regulamque dedit: orthodoxaque ipsa Ecclesia, suam flectendi normam nescia, aliquid Hippodromo concessit, sivitque Hagiam Sophiam non plane ad Orientem spectare, sed paululum ad meridiem deflectere (1). Linea

(1) Labarte, p. 18.

illa igitur quæ per medium Hippodromum, obeliscos scilicet et draconem, ducebatur, ut quidam axis fuit quo Byzantinus orbis universus nitebatur.

Circo adhærebant et palatium quoddam, *Cathisma*, et ecclesia quædam, *Sanctus Stephanus* : Imperator, Deus ipse longius ab Hippodromo exsulare noluerant.

De scena diximus : ad scenicos, id est ad factiones ipsas, transeamus.

## CAPUT I.

### QUIBUS CAUSIS BYZANTINÆ FACTIONES COALUERINT.

Quæ de antiqua factionum, seu τῶν μερῶν, origine finxerint Byzantini (1), de his silebimus. At de coævis Neroni imperatori Prasinis mentionem apud Martialem poetam reperias (2). Si iis jam temporibus Prasini fuere, certe adversis Venetis locus erat. Apud Titum Livium, de *Russatis* (3), apud Plinium, de *Albanis* equis (4), memoratur. Primi igitur sæculi initio, jam quatuor factiones de præmiis contendebant.

An sæculo primo antiquiores fuerint, non satis constat : de his enim, Romanæ Reipublicæ temporibus, nulla mentio. Eodem tempore quo Romani Imperatores, factiones et aurigæ in Annalibus primum apparent.

Factionum igitur simultas Imperatoriæ tyrannidi coætanea. Quum curia et forum pacata siluere, tunc exarsit Circus. Tunc historici ac poetæ de illis, obscuris quondam, factionibus copiosi. Libri atque inscriptiones aurigarum equorumque nominibus, victoriarum ac præmiorum fama, plebeii favoris fragore, quasi personant. Plebs in gradibus, crastini spectaculi cupida, pernoctat;

(1) *Chron. Pasc.* p. 206. — Cedren. t. I, p. 258.

(2) **Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis**
**Pervenit.**
Mart. l. XI. — Panvinius, l. I, c. 10, *de agitatoribus*.

(3) Panvinius, *ibid.*

(4) Plinius, VIII, 42. — Panv. *ibid.*

in bestiarium senator et eques, in aurigam Imperator, mutatur : Caius, Nero, Vitellius, Verus, Commodus, Caracalla et Geta, Heliogabalus currus agitant (1). « Totam hodie Romam Circus capit (2). »

Uni aut alteri parti favendi adeo disseminatus mos erat, ut gratias patri ageret sapiens Marcus, quod ab ipso ita educatus esset, ut nec Prasinis, nec Russatis, unquam faveret. Rara avis in suo sæculo fuit. Imperatorius enim furor plebeium æquabat : dementia Cæsar ac Populus Rex contendebant. Quum plebs, die quadam, aurigam, cui faveret Caligula, salibus et conviciis exagitaret, insanus ille princeps militem in plebem ruere jussit, derisoresque trucidare (3).

Quum Constantinopolis conderetur, in novam Romam e vetere, Patres, populus, Circus, Prasini ac Veneti, Russati atque Albi, omnia migrarunt.

Ejusdem furoris clamore Bosporana littora ac Tiberinæ ripæ resonuerunt : namque hic ut illic, non tam ludi ipsius quam vestium colorumque causa, populus ac princeps insaniebant.

At Byzantii multo magis ardens quam Romæ æmulatio fuit. In Circo Maximo, raro usque ad convicia in principem plebs mota fuerat; in Byzantino Hippodromo, principes de summa rerum sæpe periclitati : imperiali sanguine maduit arena ; e Circo in urbem incendia, in imperium bella civilia, grassari. Cur turbulentiores Byzantii quam Romæ factiones fuerint, duas præcipue causas perspicere licet : 1° Romanis imperatoribus multo majores copiæ ad frænandos populi furores quam By-

(1) Auctores in Panvinio, I, 12.
(2) Juven. *Sat.* XI.
(3) Herod. in Carac. l. V.

zantinis βασιλεύσιν adfuere : horum nemo, ut priores illi Augusti, prætorianorum decem millia ad manum habuit (1); 2° Liberior Romana quam Byzantina plebs in suis erga aurigas affectibus fuisse videtur ; furor itaque theatralis Romanorum, principibus suos ipsis affectus moderantibus, intra justos constitit limites ; Byzantii autem, edictis imperatorum irritatus, in tantum excrevit ut nihil non auderet (2). Obscuratum igitur a Byzantinis Romanarum factionum decus ; solas fere Byzantinas historia novit. Venetorum ac Prasinorum nomina non veteris Romæ, sed Constantinopolis memoriæ ac nomini adhærere videntur. Roma oriundus furor apud Byzantinos adeo convaluit, ut ipsis peculiaris ac gentilis esse credatur. Raro apud Martialem, Juvenalem, Herodianum, Historiæ Augustæ scriptores, de Prasinis aut Venetis mentio occurrit ; sed eorumdem audacia sæpe subversa fuit Constantinopolis, concussum a Cyzico usque ad Alexandriam atque Antiochiam Orientale imperium, Imperatores elati aut fracti ; eorum fama plenæ Patrum homiliæ, plenæ historiæ, pleni Procopius, Agathias, Marcellinus, Evagrius, Theophanes, Simocatta, Paschalis Chronographus, Cedrenus, etc.

Unde hic furor ? Unde tantæ vires ? Multi credidere non potuisse fieri ut magna gens, alicujus equi aut aurigæ gratia, in factiones adeo inter se infestas discederet, nisi aliquid magni sub hac colorum diversitate latuisset : non potuisse e fugitivis hippicorum ludorum sòlennitatibus tam contumacia odia, et perpetua instituta, et duos quasi permanentes exercitus, infestis signis ac coloribus sese provocantes, in republica coaluisse.

(1) Krause, *Die Byzantiner des Mittelalters*, p. 86.
(2) Erasme Müller, *De genio, moribus et luxu ævi Theodosiani*, t. II, p. 70.

Credidit Dandolus duas fuisse in Imperio Byzantino nobilium clientelas, quæ, per immensas Imperii provincias, ut per angusta Veronæ compita Capuletorum et Montacutorum factiones, æternam dissentionem agitarent (1). Sed quantum Orientale Imperium et parvæ Italiæ civitates inter se differrent, quis nescit?

Forsan in urbe Byzantio duæ civitates fuere, ut plures in antiqua Roma Romæ fuerunt, ut binæ in multis medii ævi civitatibus civitates? Forsan regio quædam Urbis regioni alteri inimica insurgebat? quod in Occidentalium partium civitatibus non raro accidit. Sed Constantinus I Constantinopolim suam unam, non duplicem, creavit. Si inter duas Urbis regiones dissidium actum fuisset, quo pacto iisdem furoribus Cyzicus, Thessalonice, Tarsus, Antiochia, Alexandria, omnes Imperii urbes convulsæ fuissent? Nec in Byzantino tantum imperio, sed in Italia etiam, per Ostrogothos ac Longobardos Germana quodammodo facta et novis quasi moribus imbuta, pestis illa Venetorum ac Prasinorum sæviit.

Sunt qui credant factiones illas non hippicam tantum simultatem agitasse, sed de summis rebus, aut politicis aut religiosis contendisse : hinc Anastasii domusque Anastasianæ sectatores, illinc Justinianeæ stetisse; hos Phocæ, illos Mauricio, colorem hunc Justiniano II, illum Philippico aut Leontio favisse. Si de religione agebatur, hunc pannum induisse orthodoxum; illum, suo quemque tempore, Arianum, Nestorianum, Monophysitam, Marcianistam, Iconoclastam.

At, Hypatius atque Justinianus, Mauricius et Phocas,

(1) Dandolo, ad annum 609, apud Muratori, t. XII, p. 109. — Eadem apud Marii Aventici Continuatorem : D. Bouquet, t. II, p. 19-20.

Justinianus *Rhinotmetus* et Leontius, transiere; duraverunt τὰ μέρη. Nestoriani, Ariani, Monophysitæ, Monothelitæ, Iconoclastæ, transierunt : omnibus Veneti ac Prasini superstites.

Credo igitur τὰ μέρη nihil nisi hippicas fuisse factiones : per se exstitisse. Non ex urbanarum regionum, non e regiarum domuum, non e religionum conflictibus, sed ex Hippodromi tantum simultatibus conflatas efferbuisse. Has genuit, has aluit, has irritavit Hippodromus.

Immutabiles hominum animos si paululum scrutatus fueris, de factionum originibus doctior evades. Si concurrentes, ut in sexto sæculo, currus, ut in undevigesimo nostro equos, sine favore, sine spe aut timore, ut obvius quisque, adspectas, nonne frigebit tibi ludus? Quid tua refert quis præmium ignotus ignoto auferat? tua res non est. Sed, quæso, sponsione adversarium provoca; decem millia librarum in medium propone : fac tu omnem pecuniam amittas, si aut currus aut equus hic, duplicem vero summam auferas, si currus aut equus ille palmam tulerit. Quid? ludusne nunc etiam frigebit? parumne, hic an ille palmam ferat, nunc etiam refert? Quietusne, ut nuper, sanguis tibi in venis torpet? Imo pronum in arenam te deus agitat. Omnia in te mutata, facies, color, vultus, vox : spes, timor, gaudium, desperatio, ira, nunc mixto singultibus murmure, nunc plausu aut clamore, erumpunt. Romæ aut Byzantii, pauper plebeius raro *libras* aut *nomismata* in medium jactabat; non de pecunia, sed de gloriola agebatur. Non aurum, sed semetipsum exponebat. Si ad sinistram imperialis cathismatis sederat, si prasinam vestem induerat, si *Olympio* aurigæ victoriam, si *Uranio* cladem, omnibus audien-

tibus, coram populo atque imperatore, auguratus fuerat, proh pudor si, spe defraudatus, victos Prasinos sensisset! Suus auriga, suus color, sua pars, omnibus erat ludibrio. Prasinam illam vestem, imperatori ipsi venerabilem, pueri etiam ac servi, per plateas et compita, deridebant. Sin autem Prasinus auriga Venetum superasset, superbe plebeius noster per Hippodromum et per Urbem victricem illam vestem triumphantemque colorem, ut Camillus et Paulus Æmilius alter, traducebat. Nec bene gaudere sibi videbatur, nisi victis et ipse insultaret.

Adde quod non homo unus, hac spe, hoc timore, hoc dolore, hoc triumpho, sed dimidius fere populus Byzantinus, multa hominum millia, eodem tempore agitabantur. In iisdem gradibus sedentes, eodem vestimento induti, eodem œstro concitati, suum sibi quisque dolorem aut timorem tot hominum dolentium aut timentium contagione exacerbabat. Quod in uno homine spes fuisset, in multis improba cupiditas erat; quod in uno dolor, in multis desperatio; quod in uno ira, in multis amentia. Unus murmur edidisset, at populus insanum clamorem edebat.

Hoc etiam animos acrius irritabat quod in adversis gradibus, timentibus sperantes, tristibus hilares, desperatis insolentes, victis victores, stomachantibus insultantes, ex opposito sedebant. Sese invicem, hinc illinc, per medium Hippodromum, vultu, gestu, manu, voce, salibus et conviciis, clamore et cantibus, provocabant. Quid, si anceps victoria, incertum præmium, utroque auriga metam eodem tempore assecuto, sub lite poneretur? Tunc omnes in suis sedilibus erecti, iratos vultus sibi invicem intendentes, ingentesque illas manicas, de quibus multa Procopius, agitantes, modo non manus conserebant.

Nonne apud nostrates, hippica simultas inter duas nationes vicinas usque adeo progressa, ut victori equo exitium non optaretur, sed etiam intentaretur; et a furentibus utrinque antiqua prælia, et Sanctæ Helenæ insulam, quum de misello tantum equo ageretur, memorarentur?

Et tamen apud nos rara, fortuita hæc simultas : quid apud Byzantinos, qui quotidie fere, adversis coloribus induti, tot præterita certamina, incertas victorias, amaras clades, insolentes triumphos in animo agitantes, iidem iisdem inimici, in eodem Hippodromo, contrarii sedebant? Quid mirum si in odium rivalitas, in civile bellum odia, in incendia ac cædes simultas, progressa fuerit? Non jam æmuli, sed hostes erant; non jam equis et aurigis, sed sicariis, non jam conviciis, sed armis, rem agebant.

Quanta, quamque acris in Hippodromo voluptas fuerit, nunc intelligitur. Sperare, timere, irasci, odisse, mirum erat equestribus ludis condimentum : vis, violentia, rapina, cædes, pugnæ, incendium, aspera fuere et acerbe deliciosa circensium voluptatum lenocinia. Quid miraris si, præ Hippodromo et aurigis, bellantes ipsi gladiatores, athletici ludi, naumachiæ, bestiarum atque hominum certamina, monstrorum venationes, vilescebant? Cives enim sibimet ipsi gladiatores erant! suaviusque erat inimicum propria sica ferire quam trucidatum a barbaro barbarum contemplari. Venetus Prasinum, ingruente nocte, per urbis compita et angiportus, libentius quam ullum unquam crocodilum aut camelopardum ipse venabatur. Projectus in mare, vesperascente die, Venetus, et frustra auxilium implorans, Prasino gratissima omnium naumachia erat.

# CAPUT II.

## QUID FUERINT CIRCENSES FACTIONES.

Byzantinas factiones legitimas *universitates* fuisse. — An diversas urbis regiones incoluerint. — An diversis opificum aut mercatorum collegiis constiterint. — Easdem urbanam quasi militiam fuisse. — Byzantinas factiones cum provincialibus societatem habuisse.

Plura tamen efficiebant ut factiones illæ, inter circenses ludos natæ, in majores opes atque animos excrescerent.

I. Non jam fortuiti civium congressus, iisdem gradibus sedentium iidemque aurigæ plaudentium, τὰ μέρη erant; sed, jam ut juridica utamur formula, *universitates* lege exsistebant : quæque factio suos magistratus, suos officiales, suam arcam, sua stabula atque ædificia, suos currus, equos, ursos ursorumque custodes, saltatores et gladiatores, communibus impensis, sustentabat. Suos quæque factio porticus, suas στοὰς (1), quasi lege, possidebat. Unius coloris vestem, similiaque ornamenta induebant factionis cujusque fautores (2). Qui δημόται erant, horum in laterculo quodam, sive χάρτῃ, nomina inscripta manebant; *Demarchorum* suorum jussis parere, judiciali eorum potestati subesse, pecuniam in communem arcam conferre, *demotes* quisque debebat. Omnibus privilegii factio quæque gloriabatur, omnibus autem obligationibus obstricta tenebatur, quibus *collegia licite coeuntia*.

(1) τὰ ἴδια τοῖς ἰδίοις ! ita conclamatum a Prasinis, porticus et sedilia mutare jussis. — Malalas, p. 352.

(2) Proc. *Anecd.* c. 7. — Cedren. t. I, p. 688, in Tiber. II.

II. Non quod regio quædam urbis alteri inimica erat, natæ sunt factiones : quanquam crediderim in diversis Byzantii regionibus habitasse Venetos ac Prasinos, atque ex illa diversitate acerbatas etiam fuisse hippicas simultates.

In *Cærimoniis* enim legitur sub cujusque Demarchi dispositione Γειτονιάρχας fuisse. Γειτονία autem, regio urbis, insula seu vicinia (1) fuit.

Testatur Theophanes Prasinos, semel et iterum, armatos in Venetorum γειτονίας irrupisse, incolasque trucidasse, domosque incendisse; sæviente autem in pacis perturbatores *Eparcho*, Venetos ad Deiparam Blachernensem, Prasinos ad Sanctam Euphemiam Chalcedonensem confugisse (2). Inde putarem Venetos, in Urbe, Blachernis atque Aureo Cornui propiores, Prasinos autem proximas Chalcedoni ac Bosporo murisque maritimis γειτονίας incoluisse. Imo non in ipsa Urbe majorem τῶν δημοτῶν partem habitasse; sed Venetos, ultra Aureum Cornu, in Pera et Galata suburbiis; Prasinos autem, ultra Bosporum, Chalcedone et in Asiatico *Steni* littore domus habuisse arbitrarer. Utraque factio tum in Urbe, tum in suburbiis, suos fautores habebat; in transmarinis tamen, aut, ut dicebant, « *piraticis* » partibus validior vigebat.

Anno 559, Veneti Cornu Aureum apud Sycas pertransiere et maritimis armamentariis, παραθαλασσίοις ἀποθήκαις, incendium machinati sunt : indeque flammæ atque cædes per reliquam urbem grassatæ (3). Veneti igitur, aut

(1) *Cærim.* II, 52, p. 720, 738, 772, 799 ; II, 56, p. 803.
(2) Theoph. a. 6054, p. 365.
(3) Malalas, p. 490. — De Sycis, sive Galata, Cf. p. 45, n. 2.

Venetorum certe major pars, trans Cornu, in Peræ ac Galatæ partibus commorabantur : unde infestis armis urbanas Prasinorum vicinias invaserunt.

Nec mirum si Urbis aut suburbiorum aliæ Venetæ, Prasinæ aliæ, regiones fuerint. Fit enim apud nos ut hæc aut illa magnæ cujusque civitatis regio, diversa de principe, de institutis, de religione, sentiat.

III. Non regiones tantum urbanæ, aut surburbanæ, sed opificum aut mercatorum collegia, hæc illi, huic illa, factioni favisse videntur. Hujusmodi Byzantii collegia fuisse (1), ut in Occidentalibus partibus « les corporations » aut « die Zünfte », nemo dubitat : suum cuique collegio vicum aut urbis regionem adtributam fuisse (2) credere licet. Quid mirum si ejusdem vici incolæ, ejusdem artis artifices, iidem factioni faverint? In decimo sæculo Prasinæ parti iconographi aliique opifices addicti fuisse videntur (3).

IV. Hoc etiam magnas vires factionibus addebat quod eorum fautores in diversis quibusdam *τάγμασι* aut cohortibus militabant. Factiones Regiæ Urbi ut civica quædam militia erant. Quarum cohortium quæque aut Prasinorum, aut Venetorum, nomen, colorem, animos retinebat, armisque eamdem causam, quam clamoribus solum contribules, tuebantur.

Recentiores rerum Byzantinarum scriptores de factionibus illis, ut de armata ac securigera turbulen-

(1) Mortreuil, *Hist. du droit byzantin*, t. II, 316; III, 49-50. — Reisk, *Notæ ad Cærim.* p. 91. — Pancirolus, *ad Notitiam dign.* p. 19. — Justin. *Cod.* IV, 63; *Novellæ*, 43, 136, etc. — Scripserat Leo VI « *Constitutiones de corporationibus civilibus*, » nunc deperditas.

(2) Cedren, I, 648 : qui Sericorum, pretiosorumque et auro intextorum vestimentorum mercaturam exercebant, juxta Zeuxippi thermas incolebant.

(3) *Cærim.* II, 15, p. 590.

taque militia, mentionem faciunt (1) : quasi apud plebem Byzantinam, etiam post eversum Imperium, terribilis τῶν μερῶν fama perduraverit. Adde ex diversis auctoribus subjecta loca :

1° Mos est civicæ cuilibet militiæ castrensium militum mores ac vitia etiam et deridicula æmulari. Sic Byzantini δημόται barbarorum fœderatorum, Persarum Hunnorumque vestes, comam, ingressum imitabantur (2).

2° Eodem tempore quo cuilibet civi armis interdictum erat, Prasini ac Veneti, ut non jam cives, per urbis compita, non occulte, sed aperte armati, grassabantur ; per συμμορίας (quod verbum tacticos libros et militarem sermonem redolet) congregabantur (3). Teste Malala, anno 559, Veneti, subjecto armamentariis incendio, si quis aquam ferret, *jaculis* repellebant (4) ; eodem anno, in Pittakiis, *gladiis* et quasi justo Marte inter se manus conserebant (5). Idem testatur Theophanes de Venetis, regnante Anastasio, Prasinos obtruncantibus (6).

3° Si de civibus tantum fortuito armatis, armorum usum nescientibus, ageretur, non potuissent *demotæ*, in magnis illis circensibus prœliis, tam animose ac pertinaciter imperialium militum, selectorum barbarorum, optimi cujusque veteranorum, impetum sustinere (7). Sustinebant tamen : militibus enim milites sese opponebant.

In seditione quam *Nika* vocaverunt, multi Veneti,

(1) *Constantinias*, c. 13, p. 72 : οἱ φοβεροὶ ἐκεῖνοι καὶ ταραχώδεις πελεκυφόροι. *Byzantios*, Κωνσταντινόπουλις, t. I, p. 229 : « Hippodromenses illi Jenitcheri. »

(2) Proc. *Anecd.* c. 7.

(3) Proc. *Ibid.*

(4) Malalas, p. 491 : ἐτοξεύετο.

(5) *Ibid.* p. 492 : ξιφῶν συρέντων.

(6) Theoph. a. 6012, p. 257: ἔσφαζον τοῖς ξίφεσι.

(7) Exempli gratia, Cf. Malalam, p. 491.

Imperatoris et Belisarii precibus obtemperantes, imperialibus militibus sese adjunxerunt, adjunctique in Prasinos, veteres inimicos, impetum fecere. Si militiæ expertes fuissent, auxilia ipsorum minus optabilia et Belisario et Justiniano visa essent.

Apud Theophanem de eadem seditione dicentem, de *Flavianis junioribus Prasinis ;* apud Chronicon Pascale de *Constantinianis junioribus Prasinis* mentio incidit (1). Nonne tibi *Notitiam Dignitatum Imperii Romani* legere videris, et hujusmodi legionum aut alarum, quæ sub Magistrorum dispositione erant, nomina audire ?

Additur ducentos istos Prasinos loricatos fuisse (2).

4° Auctore Malala, Theodosius II, militibus *Pedaturæ,* in Circensibus, locum in mediis Venetorum gradibus assignavit: scilicet militibus inter commilitones (3).

5° Δημοτεύειν, id est τοῖς δήμοις, seu factionibus, adscribere, idem erat ac militiæ adscribere : invadentibus enim Bulgaris, Justiniano imperante, in Thraciam, princeps ille πολλοὺς ἐδημότευσε atque ad *Longos muros* direxit (4). Δῆμος igitur militia erat; δημόται, milites; δημοτεύειν militiæ adscribere, aut etiam, ut in subjecto Simocattæ loco, *militare.*

6° Narratur a Simocattá Mauricium, quum Phocam res novas moliri audiisset, utrumque, Venetum scilicet ac Prasinum, *Demarchum* arcessivisse, ab eisque, quis foret τῶν δημοτεύοντων numerus, subtiliter percontatum. In laterculo autem Venetorum, DCCCC nomina, in charta Pra-

(1) Theoph. a. 6024, p. 284. Ἦλθον δὲ καὶ ἀπὸ Φλαβιανῶν νεώτεροι Πρασίνοι διακόσιοι λωρικάτοι. — *Chron. Pasc.* p. 625. — Pancirolus, *Notitia Dignitatum,* c. 53.
(2) φοροῦντες ζάβας, *Chr. Pasc.*; — λωρικάτοι, Theoph.
(3) Malalas, p. 351.
(4) Cedren. I, 678.

sinorum, MD nomina inscripta inventa sunt. Hos omnes, amicis verbis delinitos, ad custodiendum Theodosianum murum emisit Imperator (1).

8° Agathias de hujusmodi militibus, *Historiarum* libro quinto, verba facit, eorumque aut disciplinæ aut virtuti, more castrensium, qui paganos milites libenter naso suspendunt, multa derogat. Si Agathias enim auditur, senescente Justiniano, bellaque non jam ferro, sed auro, agitánte, legiones quasi jam inutiles negligebantur. Miles cibariis defraudabatur, æsque publicum « in mulieres inhonestas, et aurigas, *et viros, parum ubi res postularet fortes*, sed deliciosos, quique *ad civiles tantum turbas et actas de coloribus factiones, vesano quodam studio* audaciaque, ferebantur, militaria stipendia dissipabantur » (2). Qui fuerint milites illi, quos eodem contemptu ac mulieres inhonestas et circenses aurigas despicit castrensis noster scriptor ? qui ἐμμανεῖς illi πρὸς τὴν περὶ τὰ χρώματα ἔριν, nisi urbani, de quibus jam multa diximus, milites ?

9° In decimo sæculo Constantinus Porphyrogenitus, inter milites quibus custodienda urbs incumbebat, hinc *Tagmata* (*Scholas* scilicet, *Numeros*, *Arithmum*, *Excubitores*, *Icanatos*, etc.), illinc Milites, qui sub Præfecti Urbi dispositione sunt, seponit (3). Qui sub Præfecto, οἱ δημόται erant. Nam in Præfecti officio, οἱ γειτονίαρχαι, quos urbanarum regionum *capitaneos* vocaremus, nominantur (4).

10° In alio *Cærimoniarum* loco, factionum milites

(1) Simocatta, VIII, 7-8, p. 327-328. — Ex *Anthologia græca* (édit. Brunck, t. III, p. 243, *epigramma* 22 in Porphyrium) apparet Prasinos imperatorem quemdam adversus usurpatorem (Zenonem forsan adversus Basiliscum) armis adjuvasse.

(2) Agathias, V, 14, p. 307.

(3) καὶ ὅσοι ὑπὸ τὸν ὕπαρχον. *Cærim.* Append. p. 449.

(4) *Cærim.* II, 52, p. 720.

πολιτικαὶ τάξεις appellantur. His ad pacem publicam in circensibus ludis servandam, ut apud nos civicis seu paganis militibus, utebatur imperator; his *rogam* seu stipendium dividebant (ρογεύειν), eosque, ut πρὸς τὴν δουλείαν maxime assidui invenirentur, aut *Præfectus Sacro Palatio*, aut *Rei militaris Logothetes* (1), hortabantur.

11° Nec clementius in decimo sæculo Luitprandus, quam in sexto Agathias, istiusmodi milites corripit : προέλευσιν enim quamdam describens, « negotiatorum multitudinem copiosam ignobiliumque personarum ea solennitate collectam, quæ ad susceptionem et laudem Nicephori, a Palatio usque ad Sanctam Sophiam, quasi pro muris viæ margines teneret, *clypeolis tenuibus satis et spiculis vilibus* dedecorata » irridet, rerum bellicarum non ignarus episcopus (2).

12° Nec ad custodienda tantum, sed etiam ad reparanda restaurandaque mœnia Byzantini milites, ideoque factionum *demotæ*, adhibebantur. Militem enim, in degeneri etiam hoc ævo, ligo et trulla æque ac gladius decebant. Theodosio II imperante, Theodosianum murum ædificaverunt factiones, opere inter Venetam ac Prasinam distributo : duæque turres militarium opificum memoriam nomine ipso retinuerunt, una Μυρίανδρος, altera Πολύανδρος nuncupata (3). Jubet et *Cærimoniarum* liber τοὺς δημότας ad instauranda mœnia, urgente bello, requiri (4).

(1) *Cærim.* II, 56, p. 807.

(2) Luitpr. *Legatio* : Pertz, t. III (V), p. 349 ; post Hasii Leonem Diaconum, p. 347. — Cf. *Cærimonias aulæ Byzantinæ*, l. I, c. 1, p. 12 et passim.

(3) *Syllogos* : de Constantinopolitanis mœnibus.

(4) ἀνορθοῦν δὲ καὶ τὰ τῶν τειχῶν κλάσματα. *Cærim.* Append. p. 449.

V. Omnes fere Imperii Romani civitates habebant, ut ipsa *Felix et a Deo Custodita Urbs*, suum quæque Hippodromum, suos obeliscos (1), suosque inter se decertantes Venetos ac Prasinos. Imperatoribus simul ac plebi circenses Hippodromusque res non minus quam panis necessaria videbantur : non semel Justinianus I præsides admonet ut hippodromorum ac balneorum curam agant (2); et quasi pauciores in imperio turbulentæ civitates exsisterent, Justinus I Seleuciæ hippicos ludos habere permisit (3).

Itaque *Comiti Orientis, Comiti Isauriæ, Augustali Ægypti* non minus negotii Antiochia, Tarsus, Alexandria, quam *Eparcho Urbis* Byzantium facessebant. Optime nobis Antiocheæ factiones, per Antiochensem scriptorem Malalam, notæ.

Stricte inter se Byzantinæ ac provinciales factiones, conjunctæ stabant. Anno circiter 609, ait Dandulus, in Ægypto omnique Oriente, Prasini ac Veneti, Byzantinorum instar, sese invicem jugulabant (4).

Narratur, regnantibus Justiniano ac Theodora, Tarsenses cum Malthane, Isauriæ comite, dissidium agitavisse, ipsumque, noctu atque ex improviso, magna militum manu comitante, in urbem ingressum, in rebellantes acriter sæviisse : senatoremque Damianum, Venetæ partis προστάτην seu patronum, spiculo ictum periisse. Ut

(1) « Obelisco Circi inverso et humi defosso, » quum Antiochiæ, a. 526, terra tremuit. Comes Marcellinus, p. 379.—De Byzantinæ Spartæ Hippodromo, cf. Mézières, *Voy. dans le Pélop.* anno 1850 ; apud *Arch. des miss. scientif.* t. III, p. 389.

(2) Justin. *Cod.* XI, 41. — *Novella* 149, 2.

(3) Malalas, p. 412.

(4) Danduli *Chron. Ven.* ap. Muratori, t. XII, p. 109. — Marii Aventicensis Continuator, ap. Dom Bouquet, t. II, p. 19.

primum res Byzantii innotuit, furere Veneti et apud Imperatorem supplicare, et Malthani Leonique, socero ejus, terribiles minas intentare. Sed, auro accepto, Justinianus neque iratæ Theodoræ, neque furenti populo, exitium Malthanis condonare voluit. Ipsum etiam, Byzantium arcessitum, comiter excepit. « Sed ab Imperatore discedentem ipso in Palatio aggressi Veneti, vulneratum certe occidissent, ni socer, armatorum manu, semivivum e furentium manibus eripuisset » (1).

Si Byzantinis Venetis aut Prasinis a principe faveretur, per omnes provincias commilitonibus eorum idem favor exhibebatur. Quum Theodosius II Prasinos, honoris gratia, ad sinistram suam sedere jussit, omnibus præsidibus idem in provinciales Prasinos agere præcepit (2). Theodora, quæ Byzantinis Venetis patrona erat, Cilicum Venetorum hostem Callinicum in crucem agebat (3), Tarsensibusque Venetis inimicum Malthanem odio prosequebatur (4).

Si inter Byzantinas factiones pax, si bellum, ita in provinciis aut pax aut bellum exsistebat.

Si favebat Zeno in Urbe regia Prasinis, tum Antiocheni Prasini, impunitatis securi, Judæos invadere ac trucidare (5).

Quot, regnante Anastasio, in Urbe Regia Prasinorum seditiones! At eodem fere tempore, quo Byzantini Eparchum suum eparchia cedere cogebant, ipsi Antiocheni

(1) Proc. *Anecd.* c. 29, p. 159.
(2) Malalas, p. 352. — Rursusque Marcianus Imperator « Venetæ factioni faverat, non Byzantii duntaxat, sed et ubique. » *Chron. Pasc.* a. 456, p. 592.
(3) Proc. *Anecd.* c. 17, p. 100.
(4) *Ibid.* c. 29, p. 159.
(5) Mal. a. 490, p. 389.

Comitem Orientis Calliopium, Anastasii propinquum, fugabant; a successore ejus, Constantino Tarsensi, ægre in ordinem redacti sunt, a. 507, Antiocheni Prasini. Comite Basilio Edesseno, sub aurigæ Calliopæ auspiciis congregati Judæos trucidabant crucemque synagogis vi imponebant (1). Eodem anno, Comite Procopio, in Nyctepar-chum Menam qui Gothis stipatus seditiosum quemdam in ipso templi asylo gladio feriisset, insurgunt, ipsumque, quamvis ei Veneti auxilium ferrent, justo quasi Marte et collatis signis, victum trucidant, trucidatique virilia statuæ cuidam suspendunt (2). At repressis victisque, anno 507, ab Anastasio in regia Urbe Prasinis, deferbuere et provinciales Prasini : « terrorque magnus et Constantinopoli et cœteris Romaniæ urbibus incussus.»

Justinus I Venetis initio favere visus. Tunc sævire Antiocheni Veneti ; quique nuper misero Nycteparcho, publicæ pacis gratia, auxiliabantur, vi et cædibus rursus grassantur. Nec Antiochiæ tantum, sed per totum Imperium, Veneta factio, lapidationibus, tumultibus, cædibus omnia miscebat, in omnibus urbibus adversus præfectos insurgebat, « initium rebellionis a Constantinopoli sumens, ἀρξαμένοι ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου (3). »

Nec prius terror ille Venetus per *Romaniam* sævire desiit quam abolita Antiochiæ Olympica certamina, expulsi ex Oriente toto saltatores, strenuique in civitatibus omnibus Præfecti, Byzantii Theodotus, Antiochiæ Ephræmius, constituti (4). A Byzantio, ut nuper rebellio, ita rursus repressio et pacificatio initium sumpsit.

(1) Mal. p. 392.
(2) Mal. p. 395.
(3) Mal. p. 408.
(4) Mal. p. 416.

## CAPUT III.

### AN τὰ μέρη DISSENTIENTES RERUM PUBLICARUM CAUSA FACTIONES FUERINT.

E superioribus constat, primis etiam Romani Imperii temporibus, Imperatoribus morem fuisse aliquam factionem fovendi. Caligula « ranunculari vesti, » id est Prasinis, favebat (1); Nero, prasino sago (2), Vitellius veneto (3), Heliogabalus prasino indutus (4) currus agitabant. Verus hujus coloris aurigis et equis insanum favorem exhibebat (5).

Romanos Augustos Byzantini sunt imitati. Sed concretiores ac potentiores Romanis Byzantinæ factiones fuere : unde periculosior principi fovendæ factionis electio. Si Venetos enim eligeret, regiæ domui inimici Prasini evadebant. Si Prasinos, idem agebant Veneti.

Non te oderant Prasini quod non idem de Persis aut de Arabibus, de Ostrogothis aut de Hungaris, de vectigalium ratione aut de imperii administratione, de jure libere scribendi aut coeundi, sentires, Imperator, sed quod Venetum colorem amare videreris. Ipse tibi tuos hostes, tuos amicos eligebas. Principi gravior res erat auriganti plaudere, quam rempublicam perdere.

Theodosius Junior Prasinis favebat. A dextra ejus

(1) Dio Cassius, l. 59.
(2) Dio Cassius, l. 61. — Panvinius, I, 12. — Malalas, p. 257.
(3) Suet. in Vitel. — Panv. *ibid.*
(4) Xiphilin. l. 79, c. 14.
(5) Capitol. c. 6.

sedentes, in sinistram migrare jussit, sinistrisque sedentibus novos gradus cum sex mesostyliis ædificavit (1). Fateor tamen eosdem Prasinos, amisso imperatorum favore, sinistros nihilominus gradus servasse (2).

Marcianus autem adversis Prasinis indulsit. Venetæ parti favere crimen apud eum fuit. Cubicularius Chrysaphius non tam quod scelera sibi objecta commisisset, quam quod factionis non gratæ προστάτης fuisset, morte mulctatus (3). Pars illa autem, a principis amicitia remota, par pari reddebat. Male acta, rebellabat; rebellionis noxia, majora etiam incommoda patiebatur. Quum enim in Marcianum Prasini insurrexissent, sacram jussionem promulgavit princeps, qua Prasini a publicis muneribus et a militia per triennium arcerentur (4).

Qui fiebat ut Theodosius Prasinis, Marcianus Venetis arrideret? Nescimus. Et tamen eadem Pulcheria huic conjux, illi soror erat: ejusdem quasi domus erant.

Leone I imperatore, restitutus Prasinis favor : nam, anno 459, quum occidentalia Urbis mœnia reparasset, ei a Prasinis acclamatum, ab ipso superatum fuisse Constantinum testantibus (5).

Translata a Leone I et Leone II in Zenonem corona, et Zenone horum beneficio sceptrum tenente, an utriusque Leonis exemplo Prasinis favorem exhibuerit, nescitur. Prasinis certe amicus fuit. Itaque, quamvis a Verina et Basilisco throno pulsus, « de Prasinis satis securus erat;

(1) Mal. p. 351.

(2) Proc. *de Bell. Pers.* I, 25. — Labarte, *Le Palais impérial de Constantinople*, p. 45.

(3) Mal. p. 368.

(4) Mal. *ibid.* — *Chron. Pasc.* a. 456, p. 592.

(5) *Parastases*, Combefis, Paris, 1664, p. 3. — In Band. *Imp. or.* I, 3. p. 82.

quippe qui Zenonem, ut qui partibus eorum faveret, percharum sibi haberent » ; reducique primi omnium in Palatio obvii Prasini acclamavere (1).

Anastasius autem horum et illorum exempla repudiavit : nam neque Venetos, neque Prasinos amplexus, unam e minoribus factionibus, Russatos scilicet, secundus respexit (2).

Periculosa enim utraque major factio, Veneta scilicet æque ac Prasina, videbatur : tot principum favore auctæ, in magnas opes magnamque potentiam et magnum sectatorum numerum excreverant. Periculosior tamen Prasina : ut cui plures principes favissent. Mauricii tempore duplo fere numerosior Prasina factio quam Veneta. Itaque quamvis Anastasio factio utraque, imperium inauguranti imperatoriaque chlamyde recens induto, uno ore acclamasset, eumque rursus, abolito Chrysargyro, censuales libros concremantem unanimi plausu excepisset (3), ut primum Russatis favere visus est, Prasina factio eidem inimica subito evasit. Hæc enim præcipue contra se ipsam, ut potentiorem, machinatum fuisse principem arbitrata, in majorem quam Veneta furorem exarsit.

Anno 491 igitur, Prasini Imperatorem inter circensia rogarunt ut, qui, ob lapides in Circo jactos, ab Eparcho comprehensi fuerant, vinculis liberarentur; repulsamque passi, in Anastasium insurrexere. Mavros quidam, Prasinus *demotes*, usque ad cathisma progressus, lapidem in Imperatorem jecit, quem ægre ille declinavit. Mavros

(1) Mal. p. 379. — *Anthologia græca*, Epigrammata 21, 22, 30, in Porphyrium. — Cf. p. 34.
(2) Mal. p. 393.
(3) Cedren. t. I, p. 626.

quidem ab Excubitoribus captus, membratim concisus; populus autem a militibus in angustias compulsus, consuetis armis, incendio scilicet usus, per totum Circum usque ad imperatoriam sedem, indeque ad forum, flammam propagavit. Multi capti, multi suppliciis affecti; nec tamen prius a rebellione cessatum quam, remoto Eparcho, Plato quidam, Prasinorum « patronus », ad Eparchiam provectus (1).

Anno 501, tanta seditione Hippodromus iterum commotus ut, Theophane auctore, filius quidam Anastasii nothus perierit; multique seditiosorum ab irato Imperatore ultimo supplicio aut exilio mulctati. Civium plus quam tria millia saxis, gladiis, compressionibus et « aquis proscenis (2) » obiere. Cujus gravissimæ seditionis auctores Prasinos Marcellinus denuntiat, quos « cerealem partem » vocat: quippe qui « cæruleæ parti,» Venetæ scilicet, insidias in Hippodromo machinati sint, quique in fictilibus vasis et sub pomorum acervis lapides ac gladios occultaverint, atque ex improviso inimicos invaserint (3).

Et tamen si reputes Byzantinum populum, non semel tantum aut iterum, sed septies contra Anastasium imperatorem rebellavisse, miraberis quod in una tantum (491) et in altera (501) seditione, de Factionibus Circensibus apud auctores mentio incidat.

(1) *πάτρων τοῦ Πρασίνου μέρους*. Mal. p. 394. — *Chron. Pasc.* p. 608. — Marcellinus, p. 370 : idem de Anastasii Ariadnæque statuis, ut anno 493, eversis atque in luto volutis narrat. — Theodorus Lector, p. 559.

(2) Id est aquis quæ, in *Euripo* fluentes, spectantes ab ipsa arena separabant.

(3) Theoph. a. 5997, p. 227. — Marcellinus, p. 372. — Cedren. II, 629.

Quid? Anno illo 511, quo Imperator adeo de regno et de vita sibi periclitari visus, ut Palatium occludi navigiaque ad fugam parari juberet, de Prasinis ac Venetis nulla apud auctores mentio incidit (1)! Anno 512, quum Anastasius sese in Blachernarum suburbio occultare coactus fuit, populusque « Romaniam alium Imperatorem poscere » clamaret, aliique Vitalianum, alii Areobindum imperatores declararent, ipseque, ad finem, in Hippodromum sine diademate progressus, paratum se esse qui imperium abdicaret desperatus populo nuntiaret (2), de Venetis ac Prasinis nullam usquam mentionem reperimus! Imo Plato ille Eparchus qui Prasinæ, id est potentiori parti amicus fuit, anno tamen 512, insurgentibus monachis ac plebe, fuga sibi consulere et latebras quærere coactus.

Adeo non inter Prasinos aut Venetos, his diebus, res erat! Adeo non Prasini in amicum Venetis imperatorem, sed totus Byzantinus populus in religioni inimicum principem insurgebat!

Ambarum factionum dissidia summam quasi Byzantinæ vitæ superficiem attingebant : sed annis 511 et 512 in immensam altitudinem natio ipsa commota, ex imo popularis quasi maris fundo, exæstuabat. Prasini autem ac Veneti inter se decertantes delphinis similes erant, qui summas undas ludis ac conflictibus turbare videntur, sed, ingruente procella commotoque mari, oculis extemplo subducti evanescunt. In quieta republica aliquid terribilis Prasini ac Veneti videbantur; in turbata, nihil.

(1) Theod. Lect. p. 562. — Evagrius, III, 44; ? III, 32, p. 376 et 362. — Theoph. a. 6003, p. 238.— Cedren. Anastasii anno 22, t. I, p. 631.

(2) *Miscella historia* decem millia hominum occisa declarat. — Mal. p. 407-408. — Theoph. a. 6005, p. 246. — Marcellinus. — Zonaras, XIV, 3. — Glycas.

Justino Thraci imperium affectanti plurimam operam Veneti contulerunt. Nam alium imperatorem super scuto attollentes Excubitores lapidibus « Cærulei » disturbaverunt (1).

Sed brevi inter Venetos et Venetorum novum illum clientem orta dissidia. Faveretne Justinus, antecessorum exemplo, Prasinis? an, homo rusticus, in castris Imperiique limitibus educatus, delicias illas urbanas ac miseras factionum curas, et Venetam æque ac Prasinam factionem ignoraret? nescimus. Certe Venetos et Byzantii et Antiochiæ, et Alexandriæ, et in omnibus fere civitatibus tumultuantes, acerrime repressit (2), publicam pacem omnibus aurigis ac coloribus antiquiorem se habere testatus.

Omnes, de quibus supra, imperatores, exceptis Marciano atque Anastasio, forsan et Justino, in Prasinorum partes inclinaverant. Principibus hæc factio sinistra sedebat, potior habebatur.

Justiniano imperante, omnia mutata. Hunc in Venetos pronum fuisse unanimi auctores affirmant. Moderatene an intemperanter faverit, dissentientibus auctoribus, incertum.

I. — Si Procopium, *Anecdotorum* auctorem, Evagriumque audias, effrenus in odio aut in favore fuit Justinianus.

Narrat Procopius Theodoram, sororesque ac matrem ejus, quum Acacii, ursorum custodis, hæc vidua, illæ filiæ, Prasinos in Circo supplicibus et vestibus et verbis orarent, ut sibi uxorium et paternum officium retinere

(1) *Cærim.* I, 93, p. 427-428. — Cf. a. 518. — Theoph. a. 6011, p. 254. — Theod. Lect. II, 37, p. 565. — Cedren. I, 637. — Zonaras, XIV, 5.

(2) Mal. p. 416. — Theoph. a. 6016, p. 263. — Marcellinus, p. 378.

liceret, repulsam tulisse; a Venetis autem benigniter fuisse exceptas et hujusmodi officio donatas. Hinc Theodoræ, tunc comœdæ, postea Augustæ, in Prasinos inexpiabile odium. Irritatus a conjuge princeps in eosdem sævire. Freti Imperatoris favore Veneti, Venetorum favore Imperator, in Prasinos omnia audebant. Diu ac noctu spoliabant obvium quemque Veneti, spoliatos, ne quererentur, trucidabant : heris servorum manumissiones, parentibus largitiones in prodigos filios, creditoribus debitorum liberationem, divitibus pecuniam, mulieribus pudicitiam, extorquebant. Prasinos in nulla re judices adjuvabant. Judex qui justus esse ausus fuerat, in vitæ discrimen incidebat (1). Conscius scelerum Imperator, sceleratos adeo non puniebat, ut sceleris etiam convictos remuneraret (2). Quis, Ciliciæ Secundæ præsidem, Callinicum, quia in homicidas Venetos animadvertisset, in crucem, jubente Theodora, connivente Justiniano, actum nescit?

Evagrii tamen et Procopii, *Anecdotorum* scriptoris, in Justinianum invidia (3) omnibus nota.

Marcellinus testatur Justinianum non ita dementem fuisse. Namque, consul declaratus, « insanienti populo mappam (4) denegavit. » Qui populo insanienti adeo firmiter obstiterit, hippicos furores, suo et reipublicæ damno, alere atque irritare certe non potuit.

Patrui Justini imperio et potestati jam sociatus, ut-

(1) Proc. *Anecd.* c. 7, p. 47.
(2) Evagrius, IV, 32, p. 407.
(3) Cf. F. Dahn : *Procopius von Cæsarea*, 8°, Berlin, 1865, p. 325 et seqq.
(4) Marcellinus, p. 378. — Qui ludis equestribus præerat, projecta in arenam mappa, ineundo certamini initium et signum dabat.

pote *Nobilissimi* dignitate ornatus, Justinianus erat, quum adeo acriter in tumultuantes Venetos sævitum (1).

*Chronicon Pascale* et J. Malalas fatentur amiciorem quidem Justinianum Venetis fuisse (2) : « Per *Sacras* (3) autem, quas singulis in urbibus promulgandas emisit, cavisse uti cædis vel seditionum auctores, *a quibuscunque partibus stetissent*, pœnas darent (4). »

Auctoribus igitur non plane congruentibus, cavendum est ne Evagrio aut Procopio temere fidamus.

II. — Si reputamus Prasinam factionem, multorum imperatorum favore auctam, in majores opes majoremque numerum quam Venetam excrevisse, nobis fingere licebit Justinianum, magnam sapientiam simulata insania occultantem, validiori partium aliquid derogare voluisse, infirmioribusque Venetis præsidum iniquitatem, judicum venalitatem, administrantium potestatem, in subsidium misisse. Nec sexti sæculi imperatorem hæc consiliorum ratio dedecuisset : ut in barbarorum inter se pugnantium dissidiis, ita in factionum conflictibus, imperii aut imperatoris securitatem quærere, vere Byzantinum erat.

Testatur Procopius Prasinæ factionis sectatores, tantis incommodis ac miseriis commotos, gregatim ad adversam partem defecisse, aut ad externos confugisse. Omnis fere urbana juventus Venetæ sodalitati seu ἑταιρείᾳ no-

(1) Marcellinus, a. 423. — Mal. p. 416. — Theoph. a. 6016, p. 263. — *Chron. Pasch.* a. 527, p. 616.

(2) Mal. p. 425. — *Chron. Pasc.* a. 628, p. 618, ait Justinianum Sycas theatro, muris, jure civitatis, Justianopolis nomine donasse. At Sycas Veneti præcipue incolebant. Cf. p. 30.

(3) θείας σάκρας.

(4) *Chron. Pasc.* p. 616. — Mal. p. 422. — Theoph. p. 263. — Plures hujusmodi *Sacras* habemus : in quibus nec Veneti, nec Prasini, ne Factionum quidem nomen reperitur. Just. Novellæ, 24, 2 ; 25, 1 ; 28, 6 ; — 85, qua civibus armis interdicitur ; — 86.

mina dabat. Si Justinianus invisam factionem debilitare destinaverat, ad optatum certe exitum perventum erat.

Sed quis princeps securiorem se arbitrari potuerit, si omnes Urbis et Imperii turbulentos atque otiosos et sceleratos in cujuslibet coloris sodalitatem conscripserit, si seditiosos in legiones quasdam aggregaverit et plebeculam adversus semetipsum et cives centuriaverit? An e seditionibus cædibusque et bello civili Principi securitatem, Urbi pacem, Imperio quietem parere quisquam unquam potuit?

Credam potius Justinianum in Hippodromo nihil nisi Hippodromum vidisse: ut Vitellius, ut Nero, ut omnes fere ejus antecessores, ut obvius quisque inter patricios aut plebeios Constantinopolis, genio suo, Byzantino genio, indulsit. Intemperantius forsan quam antecessores; aut irritabilior populus, validiores factiones: unde vehementiores procellæ. Anastasio regnante, una die tria hominum millia, altera decem millia occisa: quid mirum si, Justiniano imperatore, quinque et triginta aut quadraginta in una seditione hominum millia occubuerint?

III. — Forsan et Theodora præcipua in hujusmodi intemperantiæ crimen vocari debet. Mulier enim illa inter circensia et theatralia nata, in medio istarum de coloribus dissensionum educata, Prasinis etiam, si Procopio creditur, a prioribus annis inimica, iræ favorique libentius quam justitiæ aut legum venerationi, ut mulier, indulsit.

Justinianus autem, quanquam legum a se latarum magis memor, in quibusdam tamen connivit, quædam invitus, mulieris perseverantia victus, toleravit, quædam ignoravit.

Non negat Procopius Justinianum, Callisti in crucem

acti occasione, Theodoræ graviter iratum fuisse, Malthanem autem, invita etiam Theodora, e manibus inimicorum eripuisse. In Prasinos injuriæ furtim, clam Imperatore præcipue, committebantur : sed clam Imperatore non licebat multa committere, quippe qui, teste etiam Procopio, omnium vigilantissimus imperator exstiterit.

Hoc unum certe nomen in medium protulit Procopius : Callisti in crucem acti scilicet. Ejusdem Callisti Evagrius, Procopium imitatus, fatum deploravit ; omnes chronographi, Procopium Evagriumque transcribentes, unum eumdemque Callistum lamentatione prosecuti sunt. Non alterum nomen a quolibet prolatum.

Ex paucis forsan multa sibi, ac nobis, finxit Procopius. Veteribus Prasinorum odiis subscripsit. Latitantem igitur in *Anecdotis* Prasinum caveamus!

De Venetorum latrociniis apud Procopium tantum agitur : quare nihil de Prasinorum violentia? Quis credat majorem numerum a minore semper oppressum fuisse? At Evagrius Prasinos quoque multa latrocinia exercuisse fatetur (1).

IV. — Novies, aut etiam sæpius, regnante Justiniano, commota Byzantii plebs in seditionem exarsit : ut de provincialibus motibus taceam.

His omnibus seditionibus non eadem semper causa, aut natura et quasi figura fuit. Quædam rebellantis adversus imperatorem aut ejus officiales plebis insurrectiones fuere; quædam nihil nisi factionum inter se contendentium certamina; quædam denique, initio quidem

(1) Evagrius, IV, 32, p. 407. « Hinc factum est ut, relicta patria sua..... viatoribus insidias struerent rapinasque ac cædes perpetrarent. » — Theoph. a. 6023, p. 282 : Prasini, occisum Epagathi filium Venetis objicientes, ipsi eum occidisse accusantur.

popularis motus, intra equestris contentionis limites constitere, ad finem vero, in apertam seditionem erupere.

Id autem observantibus manifestum nobis apparebit. In primi generis illius seditionibus non Veneti aut Prasini, sed populus universus, sine discrimine, adversus Imperatorem insurgere solebat; nec theatralibus aut equestribus inimicitiis actus furit, sed gravissimo aliquo dolore, aut tributorum nimia gravitate, aut officialium rapacitate, aut annonæ caritate, aut aliqua lue vel peste irritatus. In tali casu de factionibus nullo modo agitur : de Venetis aut Prasinis apud auctores nulla fere mentio incidit. Publica enim rebellio et politica seditio, non Hippodromo orta et equestribus simultatibus aucta perturbatio, nobis ante oculos proponitur.

Cujusmodi seditiones, regnante Justiniano, rarius evenere. Anno tamen 556, die natali Urbis, ejusque causa actis circensibus, ingens plebis motus exstitit. Cui non jam equestres, sed publicæ causæ fuerunt : in omnibus enim fere civitatibus pestilentia quædam ingruebat, quæ in infantes præcipue sæviebat : Byzantii fames; nam si vini et lardi copia, frumenti hordeique penuria erat. Itaque non jam inter se factiones, sed adversus Imperatorem ipsum insurgere. Id seditioni initium fuit quod, Persarum legatis in Circo considentibus, ad Imperatorem vociferatus est populus : « Domine, da Urbi abundantiam »; Præfectique, seu Eparchi, Musonii domum evertit. Res non longius progressa : nam Imperator, quod populus coram Persis rebellaverat præcipue iratus, severius Eparchum in sontes animadvertere jussit. Sed neque in seditione, neque in repressione, Venetorum aut Prasinorum nomen apud chronographos enuntiatur.

Non hippica, quamvis in Hippodromo nata, sed popularis seditio fuit (1).

Cujusmodi fuerit maxima illa omnium seditionum, quæ, *Nika* nuncupata, anno 532 exarsit, inspiciamus.

Tertio nostro seditionum generi adscribenda est. Nam in una eademque seditione duo momenta discernere licet. In priori enim momento, nulla de imperatore aut rebus publicis cura : equestris tantum dissensio fuit. In posteriori, desumma rerum, de Imperatoris vita agebatur,et τὰ μέρη, populo universo ad dejiciendum principem ruente, quodammodo evanuerant.

Initio enim motus, inducuntur in scenam Prasini atque Veneti contumelias minasque ultro citroque intentantes. Venetis certe favebat Imperatorius *Mandator*, Prasinosque asperis verbis ad pacem silentiumque hortabatur; sed præcipue inter τὰ μέρη diverbium est. Ad finem, conviciis a Mandatore et parte adversa acti Prasini, consuetam Byzantinis imprecationem : ἀνατκαφῇ τὰ ὀστέα θεωρούντων, exclamantes, Imperatore ac Venetis in Circo relictis, discessere.

Nihil in hoc novi neque insueti. Ex quo nihil nisi inter factiones aliquod prælium, consequi poterat. Quibusdam ex utraque parte occisis, pluribus incensis ædibus, paucis ab Eparcho comprehensis seditiosis, omnia in ordinem redacta fuissent.

Quî factum igitur ut factiones, primum inter se rixantes, in Imperatorem subito unanimesque insurgerent ? Quî, ut hippica simultas in publicam rebellionem conversa

(1) Malalas, p. 488. — Silet omnino Marcellinus, utpote piissimi imperatoris Cancellarius et Comes Illyrici, neque eo anno nisi de longinquis Saxonibus adversus longinquos Francos Lothariumque regem rebellantibus mentionem facit. — Theoph. anno 6048, p. 356.

exarderet? Qua causa, quum vulgaris eventus exspectaretur, tanta Romani imperii convulsio exstitit?

Equestri simultati et publicæ rebellioni non una eademve causa fuit.

Hippico conflictui hippicæ causæ; civili bello civiles. Illas supra jam inquisiimus; has nunc inquirere necesse est. Ambæ factiones, quia se invicem oderant, primum inter se decertabant; postea unanimes in Imperatorem insurrexere, quod communia Imperatori crimina objectabant.

Procopius, majori sinceritate quam quæ ab ipso non jam *Anecdota*, sed *Persica* scribente speraretur (1), res male a Justiniano administratas, et commissas a Præfecto Prætorio Joanne Cappadoce et Quæstore Triboniano rapinas denuntiat. Addit etiam, quamdiu factiones intestinis dissidiis occupatæ fuerint, tamdiu Joanni et Triboniano impune in rem publicam peccare licuisse; ut vero semel reconciliatio facta, in indignos officiales populum universum exarsisse (2)..

Usque adeo errant qui putant Byzantinos, equestrium simultatum nomine, publicas dissensiones agitasse! Illis enim coortis, ab his abstinebatur. Factiones contra seditiones phylacteria quodammodo exstitere.

Comes Marcellinus, qui ex auctoritate quasi publica scribebat, non committit ut res a piissimo principe male administratas et a Sacræ Hierarchiæ collegiatis exercitas rapinas fateatur! Sed Hypatii, Pompeii ac Probi, ex Anastasii quondam imperatoris domo, ambitionem accu-

(1) « Quanquam, in Procopii etiam *Historiis, Persicis* scilicet atque *Gothicis*, minus res a Justiniano gestæ laudantur quam vulgo æstimatur; eadem fere in *Historiis* atque in *Anecdotis* a scriptore in Justiniano vituperanda: acrius tamen in his quam in illis. » Dahn, *Procopius*, p. 286 et seq.

(2) *Pers.* I, 24, p. 122.

sat, ut qui imperium indigna ambitione appetentes, jam plerisque nobilium conjuratis, omnem seditiosorum turbam armis donisque ministratis illexissent (1). Procopiusne an Marcellinus veriora referat, quid interest? publicæ certe seditioni publicas fuisse causas uterque fatetur. Non Prasinorum in Justinianum invidia, sed populi omnis ærumnas ægre ferentis exasperatio motum concitavit. Secundas tantum partes tenuere in ingenti illa seditione factiones. Marcellinus Venetorum ac Prasinorum ne nomen quidem enuntiat : de his, jure quodammodo, silet.

Attamen, nisi causam, occasionem certe seditioni factiones dedere. Narratur, ex tribus seditiosis ab Urbis Eparcho ad mortem ductis, duos, effractis forte patibulis, in terram cecidisse ereptosque a populo navigioque impositos, invito Eparcho ac milite, in asylum fuisse deportatos; quorum unus Prasinus, Venetus alter fuit. Ambas igitur factiones, actis circensibus, una voce clementiam Imperatoris imploravere repulsamque tulere. Tum Veneti ac Prasini, nuper se invicem contumeliis ac conviciis provocare consueti, jam acclamationibus ac laudibus sese invicem mulcere incœperunt; nec jam « Justiniano, philanthropo domino, multos annos » optare, sed, imperatoria *polychronia* ridicule imitati, hinc : ***Philanthropis Prasinis***, illinc : ***Philanthropis Venetis multos annos***, conclamare (2). In Hippodromo igitur, aperto cœlo, vidente atque audiente Imperatore, elaborata seditionis consilia, verbumque *Nika*, in modum tesseræ, inventum.

(1) Marcell. a. 532, p. 380.

(2) « Φιλανθρώπῳ δεσπότῃ πολλὰ τὰ ἔτη. » Theoph. in Phoca a. 6099, p. 454. — *Cærimoniæ*, passim.

Non Prasini tantum, a Justiniano male acti, sed Veneti etiam, sed populus omnis, tot molestiis iratus, in incendendam urbem, in contemnendas Justiniani preces consenserunt : qui, Joanne ac Triboniano officio motis, Evangeliumque manibus gestans, in Hippodromum ad concionandum progressus, explosus in Palatium rediit.

Narratur a quibusdam Narsetem, aut erogata pecunia, aut memorato veteri Imperatoris in Venetos favore, quosdam ex ea factione in Justiniani partes retraxisse; eosque Justiniano Imperatori rursus acclamavisse, militibusque conjunctos cum reliquo populo manus conseruisse. Sed quidam ex Venetis, non Veneti omnes a seditione defecerunt. Pauci certe fuerunt : de qua defectione, ut de re non magni momenti, siluit Procopius.

Multo major Venetæ factionis pars, Prasina omnis, reliquaque omnis multitudo in Hippodromo, Hypatio acclamantes, permanserunt. Qui omnes, Mundi ac Belisarii militibus invadentibus, sine coloris discrimine mactati ceciderunt. Nulli colori, nec Veneto, nec Prasino, satellitum gladius pepercit (1). Sine coloris discrimine, omnes prope *Nekram* portam promiscue sepulti. Occisis in Hippodromo triginta quinque vel quadraginta civium millibus, nullus nec Venetus nec Prasinus, domi se continens, per urbem ire ausus. Aut etiam acrius in Venetos, teste *Paschali Chronico*, ut qui suæ causæ desertores fuissent, a Justiniano sævitum.

Hoc denique iis, qui Prasinam aut Venetam partem, huic aut illi regiæ domui, perseveranter ac fideliter devotas fuisse opinantur, parum liquebit. Omnium in Hypatium Pompeiumque devotissimi Prasini fuere : quis nescit

(1) Adeo ut « nullus ex Venetis aut Prasinis civis, qui tunc in Circo repertus, incolumis evaserit. » Theophanes.

tamen Hypatium Pompeiumque ac Probum Anastasii illius consobrinos fuisse, qui Prasinis adeo inimicus fuit, ut eos militia officiisque publicis arceret.

Si Veneti adversus Prasinos Justinianeæ domus prius propugnatores exstitissent, certe, tam crudeliter ab Excubitoribus in Hippodromo habiti, adeo periculosum patrocinium in posterius repudiassent. Quum Venetos igitur posterius etiam cum Prasinis decertavisse reperiemus, æstimandum erit factionem illam, cum adversaria parte manus conserentem, non Justinianeam sed propriam suam causam armis aut lapidibus defendere (1).

Ex illo tempore, Justinianus, suo periculo sapientior factus edoctusque imperatoriæ tyrannidi modum popularibus seditionibus imponi posse, publicis rebus ordinandis curam majorem adhibuit (2).

Ambæ vero factiones quæ semel ac fortuito in Imperatorem unanimes insurrexerant, ad intestinas discordias rursus revolutæ.

Hujus generis motus, factionum scilicet inter se depugnantium conflictus, Justiniano imperante, sexies iterati. Quibus annumerandæ sunt pugnæ inter factiones; anno 547 (3), 549 (4), 550 (5), exortæ : quæ nunquam sine magno Urbis damno, cædibus scilicet et incendiis late propagatis, actæ, sunt, et quarum instigatores acerrime repressi sunt.

(1) De *Nika* seditione : Proc. *Persica*, I, 24, p. 119. — Evagrius, IV, 13, p. 390; IV, 32, p. 407. — *Chron. Pasc.* — Marcellinus, a. 532, p. 380. — Malalas, p. 473. — Theoph. a. 6024, p. 278. — Multo posteriores: Cedren. t. I, p. 647; Zonaras, XIV, 6; Glycas, p. 496.

(2) Finlay, *The Greece under the Romans*, p. 260.

(3) Mal. a. 6039, p. 483. — Marcellinus, de hac seditione omnino silet. — Theoph. a. 6039, p. 350. — Cedren. I, p. 658.

(4) Mal. p. 484. — Theoph. a. 6041 p. 351.

(5) Mal. p. 484, — Theoph. a 6042, p. 352. — Cedren. I, p. 658.

Anno 559, exempli gratia, populo adversus Justinianum nullum crimen fuit : imo et imperatori et sibi congratulari potuisset, qui tam concordi animo invadentes Bulgaros repulissent. Itaque, Urbis natali die actis Circensibus motoque tumultu, nihil nisi consuetus inter factiones conflictus fuit. Si in publicas ædes vel personas peccatum, Venetorum scelus fuit, quos Imperatori devotissimos fuisse a quibusdam creditur. Hi nempe recedentem a Circo Prasinam partem aggressi. Citra atque ultra Aureum Cornu, in Constantini foro scilicet atque ad Sycas, pugnatum est. Armamentaria publica, Eparchi domus, incensa. Per duos integros dies non deferbuit furor. Postquam Excubitores cæterique satellites seditionem ægre compescuerunt, cæcus populi dolor, aperta consilia, clandestina discordia per conflata in diversis regionibus incendia, ut in omnibus Byzantinis sæculis, hinc illinc erupit. At per septaginta dies Eparchus atque Imperator inquirendis sontibus incubuere : *ex utraque Factione* comprehensi plurimi capite mulctati (1).

In his omnibus motibus non Venetæ magis factionis quam publicæ pacis fautorem atque assertorem sese Justinianus exhibuit. Æquabili ratione, velut nullo favore corruptus judex, a cujuslibet coloris seditiosis severas sine discrimine pœnas sumpsit. Cujus rei apud omnes fere auctores laudem tulit (2). Theodora certe, quæ forte Venetis intemperantius studuerat, anno 548, teste Theophane, « cum pietate obdormiverat. »

(1) Mal. p. 490-491.

(2) Fatetur etiam Evagrius, IV, 32, p. 407. « Interdum tamen, in contrariam sententiam versum, Venetos occidisse (Justinianum) : legum vindictæ subjicientem quibus antea more barbarico per singulas urbes grassandi potestatem dederit. »

Sed frustra princeps eadem severitate in utramque partem sæviebat : immedicabilis turbulentia, inexpiabilia τῶν μερῶν inter se odia videbantur. Ut feroces illæ belluæ, quæ quamvis captivæ atque catenatæ mutuo morsu se invicem lacerant, et frustra verberibus ardentique ferro acrique dolore a custodibus adhibitis, nihil de furore remittunt; sed potius, ab hominibus punctæ atque exustæ, vulneris et doloris inimicum dentem accusantes, majori etiam odio sese dilaniant; ita factiones, ab Imperatore sævissime mulctatæ, non in Imperatorem, sed in se invicem rediviva amentia furebant. Eodem enim mense (559), quo Byzantini seditiosi pœnas dedere, rursus commisso in Cyzico partium certamine, multi utrinque cecidere (1).

Anno 561 non jam Veneti in Prasinos, sed in Venetos Prasini, ultro lacessentes, irruere. Frustra Imperator ipse in Cathisma ascendit ut prœliantes in Hippodromo videret, coercerique juberet : frustra Excubitores pugnam dirimere conati; mordicus sese invicem discerpebant factiosi nec, a milite verberati, dentes relaxabant, initumque in Hippodromo prœlium per totam urbem propagavere. Venetorum « gitoniæ » vastatæ. Imperator, misericordia omissa, seditiosos puniit; Prasinos qui ad Sanctam Euphemiam confugerant eripi jussit, conjuges et matres eorum misericordiam implorantes baculis repelli, sontes variis tormentis affici. Ab Octobris die duodecima usque ad Christi natalitia non placatus Imperator. Et quum Prasini in adversam partem sponte irruissent, quumque primam in seditione personam tulissent, Prasinam Imperator factionem, non ut Prasinam, sed ut seditiosam, jure castigavit (2).

(1) Mal. p. 491.
(2) Theoph. a. 6054, p. 364.

Anno sequenti, iterum coorta in Pittaciis inter Venetos ac Prasinos pugna, reque gladiis acta, idem Imperator, nullo coloris discrimine, πολλοὺς ἐτιμωρήσατο (1).

Anno 563 denique, quum Andreas Logothetes, in Eparchiam Urbis promotus, curru, ut de more (2), e Palatio in tribunal suum veheretur, non consuetis (3) acclamationibus, sed conviciis a Prasinis exceptus. Cujus rei quæ causa fuit? Ejusne antecessorem Procopium, ut Prasinis amicum, desiderabant, an ipsum ut Venetis fauturum reformidabant? incertum. Veneti certe Præfecto a Prasinis exploso auxiliati. Præfectus sane pacem potius quam auxilium ab iis requisiisset. Extemplo tamen manus consertæ; custodia et carceres effracti; a decima hora usque ad vesperam pugnatum. Tunc Justinus, Imperatoris nepos, prælium diremit; circa duodecimam autem horam pari furore iteratum. Sed atroces animos atroci sævitia vicit Justinus. Quicumque gladio armatus captus fuisset, pollice amputatus; cæteri in multos dies per Urbem ignominiose traducti (4).

Tantane odia tam frivolæ causæ excitaverunt? Non pro patria aut religione aut parentibus, sed aurigarum et colorum causa Byzantini factiosi morti se ac crudelissimis tormentis offerebant. Usque adeo, Justiniano regnante, Byzantinæ factiones non publicarum rerum causa discordes fuerunt, ut in externis etiam et barbaris regnis Veneta ac Prasina factiones exstiterint. Francorum (5) atque Ostrogothorum (6) reguli suos hippodro-

(1) Mal. p. 492. — Theoph. a. 6055, p. 366. — Cedren. I, 679.
(2) *Cærim.* II, 52 et 53, p. 263 et seq.
(3) Ibid.
(4) Theoph. a. 6055, p. 370.
(5) Greg. Tur. *Hist.* V, 18.
(6) Panv. I, 11. — Cassiod. *Var.* liv. I.

mos habuere, forsan et suos Venetos ac Prasinos. Suos certe habuit in urbe Apamea Chosroes : Prasinumque colorem ideo elegit, quod Romanum Imperatorem Veneto favere audiisset (1). Concurrentibus igitur aurigis, si prægrediebatur Venetus, irascebatur barbarus, et equos tenere Venetum aurigam jubebat, exclamabatque Cæsari non condonandam esse victoriam.

Mortuo Justiniano paulum defervescere Hippodromus incœpit. Princeps quisque intelligebat se non posse, sine pacis publicæ atque Urbis ædificiorumque detrimento, huic aut illi factioni, pronius indulgere. Carius emebatur frivola voluptas; quæque seditio templa, palatia, armamentaria, ingentes domorum insulas, principi reædificandas, evertebat : ut de antiquorum artificum signis atque operibus, nulla impensa reparandis, sileamus!

Justinus igitur, quem severe anno 563 seditionem compescuisse narravimus, quo die imperium inauguravit, utriusque factionis acclamationibus exceptus. Tempus aderat ut, de more, aut Venetum aut Prasinum colorem eligeret : pacem elegit : factiones hortatus est ut imperium urbemque turbare desinerent (2).

Certe anni 569 ludis circensibus, quum factiones inter se contendere inciperent, ad utramque μάνδατα misit Imperator, in Venetos his verbis usus : « Imperator Justinianus vobis obiit »; ad Prasinos autem : « Imperator Justinianus vobis adhuc vivit. » His verbis monebat princeps illos ut nullum favorem vel privilegium sperarent, hos ut justitiam severitatemque timerent.

(1) ἐπεὶ δὲ ἠχθήσθη. Proc. *Pers.* II, 11, p. 203.
(2) Corippus, *De laudibus Justini minoris.*

obierat Justiniamus ille qui Venetis addictus fuisset; sed vivebat, qui Prasinorum insolentiam castigavisset. Quod ab omnibus probe intellectum : « nam, auditis verbis, siluerunt factiones et ad priora dissidia nunquam rediere. » (1)

Pari studio ut animos sedaret laboravit Tiberius II; nam quum animadverteret animorum intemperantiam vestitus luxuria utcumque ali; suamque splendidioribus vestibus insolentiam esse ; purpureisque chlamydibus et conspicuis insignibus sese invicem factiones, ut rubro panno tauros provocat belluarius, irritare : die Urbis natali, qui seditionibus quodammodo dicatus videbatur, occasione arrepta, lege prohibuit ne stolas imbricatas, purpura infectas, chlamydesque imperatoriæ assimiles *demotæ* gestarent, definiitque ut *ornis* (2) duorum tantummodo digitorum latitudine ad ornamentum uterentur (3).

Mauricii temporibus, factiones e somno aliquantulum sunt excitæ. Venetis favisse princeps dicitur; multi magnates in eamdem partem inclinabant : inter quos Germanus, qui Venetorum ope ad Imperium evehi conabatur.

In seditione tamen quæ anno 601, die natali Christi exarsit, in qua Mauricius *Manglabitarum* clava defensus ad Blachernas ægre evasit, de factionibus silent

(1) Theoph. a. 6061, p. 375.

(2) Ap. Ducangium, *Gloss. gr.*, ὄρνα, sive *ora*, vestimenti limbum significat.

(3) Cedren. in. Tib. II, anno I, t. I, p. 688. — Cf. *Cod.* Justin. XI, 8, *De vestibus*, quo titulo, capitalis pœna adversus eos qui vestibus..., *sacro*, sive imperatorio, *murice* intinctis, uti præsumpserint. – Jam Procopius, *Pers.* I, 24, p. 120, de insanis civium in Circum impensis questus fuerat.

auctores. Publica, non equestris seditio fuit : cui publicæ causæ fuerunt : Romani scilicet milites, quos Imperator a captivitate redimere noluerat, a Chagano trucidati; eodem anno magna fames.

Sed audita legionum ad Danubium, duce Phoca, seditione, diu compressæ factiones caput erexerunt. Ut vulnus vetus recentiori vulnere excitatur, in publica calamitate hippica pestis exarsit. Quum utramque tamen factionem verbis demulsisset imperator, utriusque factionis milites ad custodienda mœnia emisit; sed ubi primum armati Prasini plebeios Prasinos tumultuantes, ossaque amicorum Mauricii ἀνασκαπτόντας (1) audiere, mænia deseruerunt seque suis adjunxere, domosque incendere incæperunt.

Germanus igitur, qui Theodosio, Mauricii filio, socer fuit, sibi imperium parere conatus est. Tunc visum est quanti esset momenti colorem sibi prudenter eligere. Fautor ille Venetorum, cum suffragia Prasinorum implorasset, repulsam tulit. Æstimabant enim Prasini nunquam factionem permutaturum, qui Venetæ factioni deditissimus esset. Itaque spes Germani, veluti jaculo quodam « perforata», evanuit (2) ; nam Prasini Venetis numero multo plures (3). Sic dejecti throno Mauricius, spe Germanus; sic Phocas inauguratus.

Exitiabilius certe Mauricio Venetorum indiscretum desiderium quam Prasinorum odium fuit. Phoca jam regnante, Mauricio tamen nondum ad mortem acto, cum inter se de ordine in novæ Augustæ exceptione servando

(1) Et Marcianista tunc Mauricius, ut Manichæus quondam Anastasius, audiit; optabatque plebs, μὴ σχοίη δέρμα ὁ φιλῶν σε.

(2) τὰς ἐλπίδας ὠβέλισαν.

(3) In horum laterculo DCCCC, in illorum, MD nomina inscripta reperiebantur.

contenderent factiones, magnus tumultus exortus. Ad quem componendum Alexander quidam a Phoca missus, in Cosmam, Venetorum demarchum, contumeliis, verbo ac manu invehitur. Irata factio tunc unanimi voce exclamare : « Apage; cognosce melius rerum statum : *adhuc vivit Mauricius*. » Hinc Mauricius decollari, prudentia atroci, a Phoca jussus est (1).

At novus imperator, cui nullum fere vitium, si Byzantini audiuntur, deerat, parum gratiæ Prasinis retulit. In castris inter barbaros ac milites educatus, urbanas contentiones aut ignorabat aut contemnebat ; imperialem coronam per gladium adeptus, civicorum militum auxilium despiciebat, et paganos enses castrensi suæ victoriæ aliquid contulisse negabat. Ceterum belluina ejus ferocitas nulli parcebat. Eadem truculentia Prasinos ac Venetos tractavit. Die quadam (a. 607), cum, celebratis filiæ suæ Domentiæ et Prisci, Comitis Excubitorum, nuptiis, equestre certamen populo exhiberet, animadvertit stantes in Hippodromi *spina*, mixtas lauratis ipsius imaginibus, Domentiæ ac Prisci imagines. In furorem versus, nemine audito, utriusque factionis Demarchos accitos, nudatos, in ventrem prostratos, capite plecti jubebat. Ægre illum et imaginum fictores, et demarchi, et aulici, et populus omnis, nihil insueti admissum fuisse edocuerunt. Ægre factio utraque, « Philanthropo Despotæ » acclamantes, in clementius consilium tyrannum impulere (2).

(1) Theophylactus Simocatta, l. VIII. — *Miscella historia*, anno Mauricii extremo. — Nicephori *Breviarium*. — *Chron. Pasc.* p. 693 : in quo de factionibus nihil. — Theoph. a. 6094, p. 443 et seq. — Cedren. I, 703 et seq. — Zonaras, XIV, 13-14. — Manasses, etc.,

(2) Theoph. a. 6099, p. 454. — Niceph. *Breviarium*, p. 4. — *Miscella historia*, in Phoca, anno 5. — Zonaras, XIV, 14.

Prasini certe neque in Mauricii domus gratiam reconciliari, neque inauguratum a se Imperatorem tolerare potuerunt.

Anno 605, inita a Germano multisque inter magnates, Mauricii quondam amicos, conjuratione, ut defuncti certe imperatoris uxori, Constantinæ, imperium restitueretur. Sed Prasinos in suas partes trahere necesse erat. At nec precibus Germani moti, nec magno auri pondere oblato, inimicitias deposuere. Prasini Constantinam asylo egressam conviciis ac maledictis prosecuti; a Prasinis Mauricii domus iterum prodita; a Prasinis Mauricii uxor, filiæ, amici, morti aut crudelissimis tormentis traditi (1).

Crudeles in Mauricii domum; in Phocam nihilominus insolentes. Semel et iterum rebellaverunt, annis 603 (2) et 609 (3) : quæ ambæ seditiones apud plerosque auctores, confusione nescio qua, in unam coaluere, quam alii ad 603, alii ad 609 annum referunt.

In utraque seditione certe primas partes Prasini sustinuere. In priori demarchus Prasinus, Joannes Krukis, rebellionis et incensæ Urbis pœnam passus, vivus combustus fuit. In altera, quum Phocas circenses edidisset, et, post priores seu matutinas *palmas* (4), vespertinum concursum exspectans, de more convivium sive in palatii, sive in cathismatis triclinio, ageret (5), diutius,

(1) *Chron. Pasc.* — *Miscella historia.* — Theoph. a. 6099, p. 453. — Cedren. t. I, p. 711.

(2) *Chron. Pasc.* p. 693. — Cedren. in Phoca, a. 1, t. I, p. 709.

(3) *Hist. Miscella* in Phoca, a. 7. — Niceph. *Brev.* a. 6101. — Theoph. a. 6101, p. 457. — Glycas, p. 511.

(4) *Palma*, id est victoris aurigæ præmium; derivato sensu, curruum ad idem præmium una contendentium concursus. *Cærim.* fere passim.

(5) *Cærim.* I, 68, p. 308.

ut exspectanti populo visum est, vino ganeæque indulsit. Fricti ciceris et nucis emptor populus celerius quam Imperator cœnabat. Consuetam igitur exclamationem comiter prius, post obnixius, exclamare : Ἀνάτειλον, Φῶκα (1). Nihil clamores curavit bibulus ille miles. Tunc irati Prasini : « Iterum e poculo perpotasti, Phoca, iterum mentem amisisti (2). » In furorem versus princeps Eparchum Constantem emisit qui aliis membra amputavit, amputataque ἐν τῇ σφενδόνῃ suspendit ; alios decollavit, alios saccis inclusos in mare præcipites mersit. At reluctari Præsini, prætorium seu Eparchi tribunal cum *Secretis* et *Scriniis* incendere, carceres effrangere, captivos emittere. Indignatus Phocas Prasinis, ut Marcianus quondam, omnibus publicis officiis interdixit.

Eodem fere anno (609), furere in provinciis etiam, in Oriente ac per Ægyptum, factiones : quorum clamor, etiam in Occidente, a Marii Aventici Continuatore, qui Heraclii quartodecimo anno scribebat, auditus (3).

At paulo post, et Mauricio, et Mauricii inimicis Prasinis, nunc Phocæ inimicioribus, unus idemque vindex exstitit. Venit Libya scilicet Heraclius, membrisque mutilatis, Phocas vivus apud Bovem (4) combustus est.

(1) *Ibid.* I, 69, p. 316. Nam ut sol ipse, non surgebat, sed oriebatur, ἀνέτελλε, Imperator Byzantinus ; ut Ludovicus XIV noster, soli se parem æstimabat

(2) πάλιν εἰς τὸν καῦκον ἔπιες, πάλιν τὸν νοῦν ἀπώλεσας. Theoph.

(3) Dom Bouquet, t. II , p. 19. — Eadem mentio in Danduli *Veneto Chronico*, a. 609.

(4) Bos quidam æreus, cavus, in foro ejusdem nominis stabat. In quo fuerant Christiani, ut inepte credebant Byzantini, a Juliano combusti. Hoc monumentum, exusto Phoca, delevit Heraclius. Hunc Bovem, nihil nisi Phalaridis taurum, Sicilia Byzantium advectum, esse credit Gyllius. Hujus modi supplicia narrat ac tabulis depingit *Menologium Basilianum*. T. I, p. 55. — *Enarrat. Chronicæ*, in Bandurio, nº 267. — Codinus, nº 52-53. — Gyllius, IV, 32, p. 410.

Miram animorum commutationem ! Iidem illi Prasini qui Phocæ ad capessendum imperium auxiliati fuerant, dejiciendo Phocæ non parum contulere. Nam ut primum adventantem Heraclii exercitum audierunt, adversus Phocam inter se congregari incœperunt (1).

Iidem vero illi Veneti, a Phoca regnum ineunte inimice tractati, post dejectum Phocam, ut tyranni fautores habiti sunt; Venetæque factionis vexillum cum Leonis Quæstoris capite combustum (2).

Hippicæ igitur factiones τὰ μέρη, non publicæ fuerunt.

Multi principes qui eodem animo res publicas administravere non idem de Prasinis aut Venetis sensere ; aut diverse de republica sentientes, ejusdem factionis fautores exstitere.

Multi aut in neutram propensi, aut in utramque severi.

Qui acclamantibus Prasinis imperium capessit, sæpe dolentibus Venetis throno dejectus.

Denique iisdem temporibus quibus frequentiora in imperio civilia bella (3), nescio quo pacto, ex historia Byzantinisque Annalibus evanuisse factiones videntur.

(1) Niceph., *Breviarium*, p. 4.

(2) *Chron. Pasc.*, p. 701. — Brevi tamem coronatum ab Heraclio patre Constantem unanimi acclamatione utraque factio excepit. *Ibid.* p. 703-704.

(3) Cædes inter Heraclii nepotes ; — bella inter Justinianum II, Leontiumque et Philippicum ;—bella, post expulsam Isauricam domum, inter Nicephorum Stauraciumque et Leonem V. — inter Michaëlem II ac Thomam, etc.

# CAPUT IV.

## AN τὰ μέρη RELIGIOSÆ FACTIONES FUERINT ?

Ut non civiles, ita nec religiosæ τὰ μέρη factiones fuerunt.

Multi credidere Venetos orthodoxiæ, Prasinos heterodoxiæ patrocinium suscepisse (1).

At hujus modi opinioni res non congruunt.

I. — In quinto, sexto etiam sæculo, præcipuum aut Eutychis, aut Monophysitarum hæreseos adversus orthodoxiam certamen fuit. Quicumque igitur imperator Eutychi aut Monophysitis studuit, et Prasinis favere debuisset; quicumque vero orthodoxus fuit, in Venetorum partes debuisset inclinare.

Theodosius II sane atque Eudokia, et in Monophysitas, et in Prasinos, propensi fuere ; Pulcheria autem atque Marcianus, et Prasinis, et Monophysitis, inimici exstitere.

At Leo I, apprime orthodoxus princeps, qui in hæreticos sævissime animadvertebat, quique Alexandrina sede Timotheum, Antiochea Petrum Fullonem movit, in maxima gratia apud eosdem Prasinos fuit.

Paulo post, duo Imperatores de imperio contendebant: Zeno scilicet qui, Byzantio pulsus, apud Isauros confugerat, et Basiliscus qui Urbem et Palatium et thronum occupabat. Zeno hæresim aliquantulum redolebat ; Basiliscus autem, hæresi plane devotus ac dicatus, Monophysitam se aperte exhibuit, Fullonem Ælurumque in An-

(1) Sic Baronius, ad annum 501, 4-6.

tiocheum et Hierosolymarium patriarchatum restituit, Acaciumque, utpote orthodoxum, Byzantina sede movere studuit. Utri tamen magis faverunt Prasini? Non manifesto hæreseos sectatori, sed ambiguo *Henotici,* celeberrimi illius edicti, legislatori.

Anastasius, qui Monophysitas ardenter coluit, Manichæorumque etiam sectæ addictus ferebatur (1), Prasinos fovere debuisset : quibuscum tamen perpetuum certamen agitavit.

Mauricius, qui Marcianista audiebat, maxima apud Prasinos gratia esse debuisset. At Prasini et Mauricium, et Germanum, et Constantinam, exitiabili odio prosecuti sunt.

Hæreticus dicebatur Phocas. At Prasini principem illum, initio tantum regni dilectum, conviciis in Hippodromo lacessere non desierunt, ipsumque ac ministros ejus combusserunt.

II. — Quotiescunque, quolibet istorum principum imperante, seditio aliqua religionis causa exarsit, evanescunt factionum nomina. De populo, non de δήμοις historici loquuntur.

Omnium turbatissimum Anastasii imperium. Et hippicæ, et religiosæ seditiones deflagraverunt. Sed hippicis tumultibus nulla religiosa causa exstitit; in religiosis vero motibus, Veneti ac Prasini nullam fere partem habuere. Hoc etiam cuique manifestum apparebit, qui de præcipuis hujus regni seditionibus narrantes auctores legerit :

(1) Evagrius, III, 32, p. 361.

1° De anni scilicet 495 tumultu, cui Patriarchæ Euphemii exsilium causa exstitit (1);

2° De insurgentibus Byzantii incolis, anno 507, quod Anastasius in Heleniano palatio a Manichæo quodam sacerdote imagines fabricari jusserat, Macedoniumque Patriarcham loco movere conatus fuerat (2);

3° De anni 511 rebellione, additi *Trisagio* « crucifixi pro nobis » et moti sede Macedonii gratia commota : in qua densa monachorum, higoumenorum, mulierum, puerorumque multitudo diros clamores intentabat : « Adest martyrii tempus : patrem non derelinquemus ». Anastasio, ut Manichæorum fautori, exitium minabantur, ipsumque sceptro indignum proclamabant. Quibus conterritus Imperator invitus se Macedonio reconciliavit seque ab ipso publice vituperari toleravit (3);

4° Inspicienda et sequentis anni (512) rebellio, iterum ejusdem formulæ, « Crucifixi pro nobis », occasione coorta, in qua vehementer periclitatus Anastasius (4);

5° Vitaliani denique, orthodoxiæ propugnatoris, in Thracia insurrectio (5).

At, ut ait Theodorus Lector, non Prasinos, non Venetos, sed eos tantum « qui pro quarto synodo tumultuabantur » extimuit Anastasius (6). Religionis, non colorum causa commotus populus.

Nec amplius, regnante Justiniano, hippicæ simul-

(1) Theoph. p. 215-216. — Marcellinus, a. 495, p. 371. — Theodorus Lector, II, 9-12, p. 559. — Hergenrœther, *Photius*, t. I, p. 134.

(2) Iidem auctores.

(3) Evagr. III, 44, p. 371. — Theodorus, II, 26-27, p. 562. — Theoph. a. 6003, p. 237. — Cedren. in Anast. a. 23.

(4) Marcellinus Comes, a. 512. — *Miscella historia*.— Malalas, p. 406. — Zonaras, XIV, 3. — Glycas, p. 492.

(5) Evagr. III, 43, p. 375.

(6) Theodorus, p. 561.

tates religiosis dissidiis prætextui fuere. Non pro hæreticis Prasini, non pro orthodoxis Veneti steterunt. In magna anni 532 seditione, *Mandator* Prasinos quidem, ut Manichæos, Judæos, Samaritas, increpat : sed mos ille inimicos increpandi peculiaris Byzantinis fuit : cuique et cuilibet suus adversarius pro Judæo aut hæretico erat. Quæ convicia in adversam partem Prasini retorquebant, ipsique exclamabant : « Qui Imperatorem nostrum vera credere negabit, anathema sit. » — Mandator ad Prasinos : « Vos in unius Dei nomine baptizari jubeo »; — Prasini ad Mandatorem : « In unius Dei nomine baptizati fuimus ».

At hæreticis nunquam mos fuit fidem suam dissimulare ac denegare atque infitiari.

III. — In omnibus civitatibus, Alexandriæ, Antiochiæ, Tarsi, factionem quamque, cum Byzantina concolori factione concordem fuisse vidimus. Eadem factio præterea eodem tempore et Byzantii et in provinciis dominabatur.

Et tamen eodem tempore quo Byzantinus populus tanto animo orthodoxiam asseverabat, Antiocheni et Alexandrini Ælurum, Petrum Mongum, Fullonem, Dioscurum, Monophysitarum principes, sustentabant.

IV. — Adeo non τὰ μέρη religiosæ phratriæ fuerunt, ut Samaritarum et Judæorum etiam nomina in latercula sua admiserint.

Narratur enim ab auctoribus Judæos, in civitate Cæsarea Palæstinæ, anno 556, Venetæ ac Prasinæ factionum inter se dissidia simulantes, christianos ejusdem

civitatis invasisse, magnoque illorum numero trucidato, christiana templa incendisse (1).

V. — Denique si verum esset factiones, simulato colorum dissidio, religiosa certamina agitasse, quo pacto, eodem tempore quo Romanum imperium violentius religiosis tumultibus convulsum æstuabat, Veneti ac Prasini de medio statim evanuerint, mirari liceret.

Nam neque in orthodoxorum et Monothelitarum, Heraclio imperante, dissidio ; neque inter iconoclastiæ atque iconolatriæ furores, Isauris Armenisque et Phrygiis imperatoribus, aliquid egisse Veneti aut Prasini reperiuntur. Apud copiosissimos de Monothelitarum atque Iconoclastarum rebus scriptores, de factionibus plane siletur.

(1) Mal. p. 487. — *Misc. hist.* a. 6048. — Theoph. a. 6048, p. 356. — Cedren. in Just. a. 29.

## CAPUT V.

### DE PACATO HIPPODROMO.

Quibus causis factiones, inter septimum ac decimum sæculum, a priori turbulentia degeneraverint.

Quintum ac sextum sæcula, in factionum annalibus, omnium turbatissima.

A septimo autem sæculo Venetorum ac Prasinorum rarius apud auctores mentio incidit.

Narratur Heraclium Imperatorem, quum nuptias cum Martina, sororis filia, contraxisset, in circensibus ludis, a Prasinis etiam, quanquam ipsi præcipue amicis, explosum fuisse (1).

Equestria certamina, quæ Heracleæ, in Chagani Avarorum honorem, ab Heraclio parata fuere, inter quæ, barbarorum perfidia, modo non captus fuit (2), ad rem nostram fere nihil faciunt: quanquam multos ex utraque factione, spectaturos et spectandos, Heracleam properasse traditur.

Anno 694, Justinianus II Venetis novam phialam novaque sedilia, everso quodam Deiparæ templo, ædificavit (3).

Anno 713, post quamdam Prasinæ factionis victoriam,

(1) Niceph. *Breviarium*, a. 616, p. 16.

(2) Niceph. *ibid.* p. 15. — *Chron. Pasc.* a. 6110. — Am. Thierry, *Attila et ses successeurs*, II, 63.

(3) *Misc. hist.* in Just. a. 9. — Theoph. a. 6186, p. 563. — Cedren. I, 774.

in ejusdemque τῷ ἁρματωρίῳ (1) sive ὀρνατουρίῳ (2) seu oratorio (3), Philippico Imperatori a palatinis conspiratoribus oculi effossi (4).

Delectabatur Theophilus Imperator spectandis factionum, in Phiala Triconchi a se ædificata, ludis ac saltationibus (5).

Ejusdem filius Michaël III circenses ludos adeo deperibat, ut ipse in Hippodromo Sancti Mamantis currus ageret, et equis suis palatia potius quam stabula (6) ædificaret, atque irasceretur quod ignes in montibus positi ipsum ac populum, inter circenses voluptates, de invadentibus Arabibus admonerent. Indutus ipse Veneta veste, Prasinum sagum Logothetam Constantinum, album Cheilam quemdam, russatum Crasam, induere jussit; duobusque aliis magnatibus *combinographorum* personam imposuit. Denique, post hippicos ludos ad Mamantem editos occisus, atque sagulo equino involutus, non indignam aut mortem aut sindonem habuit (7).

Circenses Constantinus VII multum diligebat : anno 946, splendidum spectaculum in Arabicorum legatorum honorem exhibuit (8). Quæ in libro *De Cœrimoniis aulæ*

(1) Cedren.
(2) Theoph.
(3) *Misc. hist.* — De verbo sub lite posito, Cf. Ducangium, *Gl. Gr.* vº ὀρνατούριον.
(4) *Misc. hist.* in Phil. a. 2. — Niceph. *Brev.* p. 55. — Theoph. a. 6205, p. 587. — Cedren. I, 785. — Zonaras, XIV, 26. — Joël, p. 50.
(5) Theoph. Contin. in Theophilo, c. 43, p. 142.
(6) Quibus stabulis, si Hagia Sophia ipsa a quolibet anteponeretur, irascebatur. Georg. Mon. in M. III, c. 19, p. 825.
(7) Theoph. Cont. in M. III, c. 36, p. 198 ; in Bas. I, c. 21, p. 243. — Sym. Mag. in M. III, c. 46, p. 681, etc. — Byzantios, t. I, p. 226.
(8) *Cœrim.* II, 15, p. 588.

*Byzantinæ* ad Hippodromum pertinent, idem princeps ipse scripsit (1).

Nicephorus Phocas in Hippodromo magnum prælium inter milites simulatum ostentavit. Sed apud imbelles Byzantinos admiratio in terrorem breviter versa : gladiorumque fulgore et militum strepitu concursuque pertimefacti, tanta festinatione in fugam ruerunt cives, ut conculcati multi ac suffocati perierint (2).

Constantinum VIII unanimiter auctores corripiunt, quod aurigas et mimos plus æquo amaverit.

A septimo igitur sæculo, pauca de Hippodromo apud scriptores reperimus ; pauciora de Venetis ac Prasinis ; fere nulla de factionum seditionibus aut motibus. Adeo terribilia illa μέρη evanuerant.

Quibus causis Hippodromus tam brevi tempore pacatus elanguerit, inquirere nunc in animo est.

I. — Arabes Romano Imperio Alexandriam, Antiochiam, Tarsum, omnium civitatum quondam turbulentissimas eripuere. Inter harum et Regiæ Urbis factiones rupta igitur vincula. Multum itaque virium Byzantina ipsa μέρη amisere ; nec jam a cæterarum civitatum tumultibus excitata, sopiri cœpta sunt.

II. — Venetianorum, Genuensium, Amalfitanorum, Pisanorum, cæterorumque Francorum, Galatæ ac Peræ, in antiquis illis Venetorum ac Prasinorum sedibus, imperatorum permissu, crebrius institutæ coloniæ, alias curas

(1) Cf. nostrum librum qui inscribitur : *L'Empire Grec au X^e siècle : Constantin VII Porphyrogénète*, pars II, cap. VIII.

(2) Leo Diaconus, VI, 6, p. 63.

et multum diversas simultates (1) horum suburbiorum incolis attulere. Pacatis ab Arabibus Imperii provinciis, a Francis Byzantii suburbiis, quid mirum si civitas ipsa defervescere incœpit.

III. — Nullus imperatorum qui Justiniano successere adeo fervidum uni aut alteri parti favorem exhibuit. Justinus II, Tiberius II, in neutram fere propensi ; Phocas in utramque truculentus. Veneti certe primas partes in Imperatorum amicitia favoremque semel partum servavere; sed favoris hujus diuturna ab eadem factione possessio eumdem minus amarum alteri faciebat.

IV. — Forsan et Tiberii Justinique temporibus (2), subrepsit in Byzantinum Hippodromum ludus quidam, cui nomen τὸ διβερσίον, seu *diversum*, fuit. In quo concurrentes aurigæ non suum quisque πανίον tenebat; sed Venetus Prasinum, Prasinus Venetum, Albus Russatum, Russatus Album πανίον agitabat. Nihil efficacius colorum simultates mitigare potuisset (3).

V. — Denique Hippodromi atque Imperii minores in dies opes. In Imperio non jam opulentia, sed mediocritas, vix aurea. Florentissimæ commercio provinciæ, Ægyptus, Syria, Libya, Mœsia, mox Thracia et Illyria,

(1) De crebris conflictibus inter Genuenses Galatam habitantes, et Pisanos Venetianosque, ipsa in Urbe incolentes, plebemque Byzantinam adversus Genuensem coloniam excitantes, Cf. Krause, *Die Byzantiner*, p. 103, 200, 202.

(2) In quo tempore latina lingua nondum plane abolita : nam διβερσίον origine latinum est. -- Cf. *Anthologia græca*, epigr. 3, 5, 6, 7, in Porphyrium.

(3) *Cærim.* I, 69, p. 336.

amissæ; mercatorum navigia a piratis, a Cretensibus, Siciliensibus, Syriisque Arabibus, in Mediterraneo mari, a Slavis, in Macedoniis et Illyriis tractibus, vexata. Pauper prope jam erat Imperator : quam perparce in Brumaliis, in Januarii Kalendis, in Paschalibus festis, elargitur (1)! Elgæ principissæ exhibita a Constantino VII munera, et ipsa et ipso, indigna (2). Quam inopes et missi ab imperatore ad exteras nationes legati ! ad impensas suas explendas, publicis curis mercaturam addunt, vestesque ac tapetas vendunt (3). Pauperes et magnates : irridet Luitprandus eorum tunicas nimia vetustate rimatas, quas tamen in solennibus tantum festis gestabant : « nullus erat, cujus atavus tunicas illas novas habuisset » (4). Imperium Byzantinum ut nobilis ac patricia domus erat, omnium, regiarum etiam, domuum antiquissima et nobilissima, in cujus lares paupertas irrepserat; quæ tamen, ne quo modo familiam suam minuere, et præterito splendori aliquid derogare videretur, miracula industriæ atque ingenii ad dissimulandam inopiam exhibebat.

Ne aurigas quidem circenses dimittere voluit. Et tamen qua parcimonia in iisdem remunerandis utitur !

Coronæ ipsæ, quæ victorum aurigarum capitibus imponuntur, ad factionis cujusque supellectilem redeunt ; easdemque post triumphum restitutas ὁ ἄργυρος τῶν στεφάνων in futuras solennitates custodit.

Vestes, et galeæ, et zonæ, quibus, tanta solennitate, ab

(1) *Cærim.* II, 18, p. 601; II, 52-53, p. 781 et seqq. etc.
(2) *Ibid.* II, 15, p. 597.
(3) *Ibid.* II, 44, p. 662.
(4) Luitpr. *Legatio* : Pertz, t. III, p. 349. — Post Hasii Leonem Diaconum, p. 347.

Imperatoriis mandatoribus, maximo populi plausu, aurigæ investiuntur, non jam propria investito aurigæ manent : publica sunt, δημόσια appellantur, repositaque in factionis vestiario, ab officiali quodam, cui nomen ὁ ἄργυρος τοῦ βεστίου, custodiuntur. Eadem insignia, per multas generationes, auriga aurigæ tradit.

Ipsi *demarchi*, ut primum ab Imperatore in demàrchiam promoti, assignatam demarchis vestem ab antecessoribus repetunt (1).

Nec istiusmodi vestimentorum copia erat. Anno 946, actis circensibus, quo magis præsentibus Arabibus oculi præstringerentur, omnis vestimentorum supellex e vestiariis depromitur. Quatuor primatibus aurigis aurata *demosia*; quatuor primatibus bigariis, reliqua, minus aurata, demosia; cæteris omnibus gymnastica et viliora vestimenta assignantur. Tanta vestium penuria erat (2) !

Jam, ut Hippodromus aliquid pristini splendoris retineret, templorum ornamenta ad Circi ornamentum adhibere oportet. Sola enim Ecclesia in communibus angustiis opulentia quadam renitet. Monasteriorum igitur et templorum pretiosa vasa, pretiosas vestes, candelabra, argenteas catenas, ipsos etiam Hagiæ Sophiæ et Sanctorum Apostolorum cantores, ad sustinendam, coram barbaris atque infidelibus, imperii dignitatem, Hippodromo Ecclesia commodat (3). Multi etiam auctores Alexandrum et Constantinum VII, quod infidelium obtutibus sacra prostituissent, gravissimis verbis corripiunt (4).

Evanuerant illa tempora, quibus Justinianus, una

(1) *Cærim.* I, 55, p. 271.
(2) *Ibid.* II, 15, p. 589.
(3) *Ibid.* p. 591.
(4) Theoph. Cont. in Alexandro, c. 4, p. 379.— Glycas in Const. Porph.

die, in Circenses CCLXXXVIII *nomismatum* millia expendebat, et centum currus, in XXV *palmas* distributi, una die agitabantur (1). Nunc vero quatuor *palmæ* seu βαΐα mane, ad vesperam quatuor iterum palmæ, decimi sæculi Byzantinis sufficientes deliciæ æstimabantur.

Fuit tempus quum aurigis « non præmia, sed patrimonia » dissipabantur. At Constantini VII ætate, victori aurigæ, secundum Hippodromi leges, tria *nomismata*, petente populo, condonabat imperator (2).

Equi etiam, quod mirabilius videbitur, Hippodromo deerant. In quatuor illis *palmis* sedecim currus, quaternis equis cuique junctis, agebantur. At si unus ex illis quatuor et sexaginta equis morbo affectus reperiebatur, nullus erat surnumerarius equus qui in morbosi vicem succederet: unus ex illis quatuor et sexaginta equis, bis currui junctus, bis cursum peragere, cogebatur (3).

Quid dicam de *Lachanicorum* solennitate, in qua, imperatoris impensis, in Hippodromo, dum Imperator ipse in Cathismate convivaretur, cœnabat populus? Ad spinam, ad metas, ad Euripum, olerum ac placentorum acervi accumulati ostentabantur; naviculusque quidam, plaustro vectus, piscibus oneratus, vile onus in arenam effundebat (4). Adeo a Romanis congiariis degeneratum fuerat! At quum Cæsar ille Magnus plebem Romanam post peractos triumphos ad cœnam invitabat,

(1) Marcellinus, a. 521. — Malalas, p. 474. — Gibbon, *Décadence*, etc., c. 40. — Byzantios, t. I, p. 226.

(2) *Cærim.* I, 69, p. 311. Tria nomismata = gallicæ monetæ, 43 fr. 50. Cf. Sabatier, *Monnaies byzantines*, t. I, p. 59.

(3) *Ibid.* I, 69, p. 333.

(4) *Ibid.* I, 70, p. 343-345. — In memoriam magni congiarii, a Constantino I, die natali Urbis, editi. Anon. in Band. nos 50-51. — Notæ Reisk. ad *Cærim*, p. 339. — Byzantios, t. I, p. 227.

nihil nisi pretiosa vina potabatur, nihil nisi epulæ ab extremo orbe advectæ comedebatur; et quod, satiato Populo Rege, post portentosa humani generis convivia, in Tiberim, ut superfluum, projiciebatur (1), satis superque fuisset, unde sobrius ille Byzantii populus, jejunatorum (2) admirator et æmulus, per totum annum comissaretur ac deliraret.

VI. — Ut opulentia, ita et libertate, decimi sæculi factiones sexti sæculi factionibus impares erant. Sui juris esse desierant. Mauricii imperatoris ætate, cujusque partis δημότων numerus, in laterculo inscriptus, imperatori ne notus quidem erat. A nemine nisi a suo demarcho pendebant *demotæ*, demarchus a nemine, nisi a suis *demotis*.

At Constantini VII ætate, rerum quanta mutatio!

1° Quod ad disciplinam atque ad stipendium spectat, factiones, sive *Præposito Sacri Palatii*, sive *Logothetæ* τοῦ-ειδικοῦ sive *Logothetæ* τοῦ στρατιωτικοῦ subjectæ reperiuntur. Tres illi officiales de administratione τῶν δήμων inter se, silentibus ipsis *demis*, contendebant. Factionibus suum ærarium jam non esse, ipsasque imperiali *roga* solummodo victitare crediderim. Imo defuncti cujusque *demotæ* in locum, imperiales iidem officiales, quem sibi visum, accepta pecunia, collocabant (3).

2° Eparchi seu Præfecti Urbani, antiqui scilicet factionum hostis, imperio factiones subjectæ jacent (4); sub

(1) Michelet, *Histoire de la République romaine*, t. II.

(2) Patriarcha Johannes Jejunator cognomine omnibus notus. At Byzantinus populus quodam anno super quadragesimam unam hebdomadem se jejunasse animadvertit. Cedr. I, 657.

(3) *Cærim.* II, 56, seu cap. ultimum.

(4) *Ibid.* Appendix.

ejusdem enim «dispositione», *gitoniarchæ*, id est vicorum magistri, aut, ut in occidentalibus partibus dicendi mos erat, *capitanei*, civiles ac militares factionum duces, stabant (1).

3° Factionis cujusque non jam primus magistratus *Demarchus* erat: huic enim superior exsistebat ὁ Δημοκράτης. *Democrates* autem non unus e civibus; sed unus e magnis officialibus imperatoriis, militaris ordinis. At quis de *Democrate* in anterioribus sæculis unquam audiit?

4° Si de urna agitata aut de curruum equorumque sortitione inter *demarchos* lis agebatur, ad nullum periculosæ quondam hujus litis, nisi ad *Præpositum Sacri Palatii*, judicium pertinebat. Si res minimi momenti erat, Præpositus iste unum e suis *Silentiariis* delegabat (2).

5° Aliquando, in *Genethliis* Urbis præcipue, solennitate scilicet quondam turbatissima, Eparchus ipse sortiendis sortibus præerat, propriisque manibus urnam agitabat (3).

6° Omnes cujusque factionis officiales aut collegiati, a *Demarcho* usque ad gregarium *demotam*, sacrosanctæ Hierarchiæ partes esse arbitrabantur (4).

7° Nemo in *Heniochi*, sive proprie dicti aurigæ, dignitatem, sine imperatoria βουλλᾳ promovebatur: unde *bullati Heniochi* appellabantur. Nemini *factionarii* aut *micropanitæ* dignitas, sine imperiali investitura, conferebatur (5).

(1) *Cærim.* II, 52, p. 717.
(2) *Ibid.* I, 69, p. 313.
(3) *Ibid.* I, 70, p. 341.
(4) *Ibid.* II, 52.
(5) *Ibid.* I, 69, p. 327 et seqq.

8° Ut cæteri Imperii officiales, ita et *demarchi* et *deutereuontes* ab Imperatore eligebantur. Nec de antiquo populi jure, in suis eligendis *demarchis* cura habebatur. « *Despotes* noster », aiebat Præpositus Sacri Palatii ad populum, « hunc aut illum pro Demarcho excipi jubet (1) ».

9° Nemini licebat *velum suspendere,* id est propinquorum ludorum signum exhibere, nisi a *tesserario,* Imperatore jubente, jussum fuerat (2).

10° Nemini licebat equorum et curruum *combinas* instituere, quod sæpe, quum ab adversa parte reclamaretur, multos tumultus excitaverat, ni præsentes adfuissent, a latere Præpositi Sacri Palatii *Silentiarius;* a latere *Actuarii, Mandator ;* imperialis denique *Combinographus,* utriusque factionis *Combinographis* adjunctus.

11° Imperator populo suo nunquam se committebat. Quum etiam in Hippodromi Cathisma procedebat, palatio suo tamen ideo non exibat. Nam eodem munitionum circuitu et Sacrum Palatium, et Sancti Stephani templum, unde Augusta ludos spectabat, et Cathisma, in quo suum triclinium et suum cubiculum Imperator habebat, cingebantur, totusque circuitus iste turribus horrebat. Itaque quum Imperator a Chrysotriclinio aut *Daphnes Octangulo Cubiculo*, per *Palatii Peripatum* perque Sancti Stephani ecclesiam in Cathisma, cochlearibus scalis, ascendebat, nunquam mœnium ac munitionum tutamine excedebat. Palatium pro castro, Cathisma pro castello, ante castrum posito, erat. Orientalia Hippodromi latera Palatium, septentrionalia latera Cathisma, ut vallatio quædam amplectebatur : utrumque populari

(1) *Cærim.* I, 55-56, p. 269-272.
(2) *Ibid.* II, 55 ; I, 69, p. 310.

Hippodromo turribus ac mœnibus altis imminebat. Si plebs commota videretur, undique æreis portis Palatium claudebatur : Cathisma autem, satis altis columnis suffultum, ut sublici imposita arx maritima, popularibus fluctibus insultabat (1).

In Hippodromo abruptum Cathisma surgebat. Nullæ erant scalæ quibus commota plebs Imperatorem in Cathismate suo securum invadere posset. Quum victoribus coronas, heniochis *bullas,* bigariis *cassidion* largiebatur Imperator, non ad eum ascendebat remunerandus auriga ; sed ab alia parte in arenam descendebat *actuarius, cursoribus* suis circumdatus. Imperator igitur in medio populi stabat, non fidei populi se committebat. Eminens, non expositus erat.

Non munitionibus tantum et Cathismatis excelsitudine Imperator vulgus arcebat : sed et lege cærimoniali. Proprio enim ore populum princeps nunquam alloquebatur : sed quum cives, spectaculi initio, togam manu tenens, cruce signaverat, mutus ac taciturnus, ut æreus aut aureus deus, sedebat. Ut Quæstorem ad alloquendum senatores, ut Logothetam Cursus ad colloquendum cum externis legatis, interpretes adhibebat : ita et apud populum peculiaribus ministris utebatur : si *velum* suspendendum erat, *tesserarii* persona; si remunerandus auriga, actuario, cursoribus suis circumdato (2); si concio habenda apud plebem, si mittenda μανδάτα (3), τοῖς κανδιδάτοις βασιλικοῖς τοῦ ἱπποδρόμου (4), aut, ut apud Theophanem, ad annum 532,

(1) In illa Cathismatis arce, anno 1042, populus lapidibus ac jaculis Imperatorem Michaelem V quodam modo obsedit.
(2) *Cærim.* p. 328, 345, 365, 366.
(3) Cf. pag. 58 de mandatis Justini II ad factiones missis.
(4) *Cærim.* II, 52, p. 537.

*mandatore* quodam (1), aut, ut de Theodosio II narratur, suam Prasinis benevolentiam exhibente, *Protocursore* (2) interpretum loco utebatur. Byzantino imperatori dedecus videbatur cum Populo quondam Rege ore proprio colloqui.

VII.— Itaque in dies Hippodromus magis frigere. Alexis I Comnenus ultimus prope imperatorum qui equestribus ludis præfuerunt (3). Alexis III circenses edere nolebat; at filiæ suæ Irenes, quam Alexio Palæologo despondebat quæque spectacula nuptiarum occasione flagitabat, precibus victus, non in Hippodromo , sed in Blachernarum palatio, currus agitari jussit, et publicam quondam solennitatem privati juris fecit : imo minus libenter aurigis quam histrionibus et ludionibus animos aulici animadvertebant. De Porphyrii hæredibus et æmulis, de antiquo in agitatores favore, actum erat (4).

Jam Theodorus Balsamon, decimo tertio sæculo, de circensibus simultatibus ac solennitatibus, ut re obsoleta atque jamdiu præterita loquitur et cujus hæc sola monumenta supersint : factionum scilicet stabula (5).

At quum Franci Venetianique, anno 1204, urbem captam incendere, Hippodromum expilavere, Byzantinam penuriam in extremam miseriam vertere, externosque dominos servitutemque Latinam Græcis imposuere, Hip-

(1) Theoph. a. 6024, p. 278.

(2) Malalas, p. 352. — Galliani imperatoris tempore, *curionibus*, ad verba apud populum in Hippodromo facienda, utebatur princeps. Trebellius Pollio, *Gallieni duo*, c. 12.

(3) Anna Comnena, *Alexias*, l. XV. edit. Paris. p. 496.

(4) Nicetas, in Alexio III, III, 2, p. 674.

(5) Theodorus Balsamon, *Canon. Trull.* c. 24, apud Goarrium : *Nota* ad Codini *De officiis* (c. 6, n. 27) locum.

podromus jam non fuit. Circum omnibus ornamentis defraudatum, pretiosis omnibus signis, Lysippi Hercule, Apollonii Tyanei aquila, Romuli lupa, suavissima denique Helena spoliatum (1) Græci deseruere. Ille enim non jam antiquæ gloriæ monumenta, non jam artis pulcherrima artificia, sed deformia et victæ orthodoxiæ et triumphatæ Græciæ testimonia, mœrentibus cordibus, lugentibusque oculis exhibebat. Defloratum ac dedecoratum Circum ruinosum pendere, invadentibus herbis ac spinis, siverunt, et moribundus ille populus moribundum suum Hippodromum desperatus negligebat.

Et tamen, quarto decimo etiam sæculo, Codinus inter aulæ redivivas cærimonias, utrumque Demarchum, *flammulas* factionum gestantem, inducit (2), præteritorum temporum extremos testes et defunctorum *demorum* superstites atque orbos duces.

(1) Nicetas, *Urbs Capta*, *De signis*.
(2) Codinus, *De officiis*, c. 6, n. 27.

# CAPUT VI.

## DE FACTIONUM OFFICIALIBUS ATQUE MAGISTRATIBUS.

Æquo fere intervallo distat decimum sæculum a sexti sæculi factionum turbulentia et a duodecimi vel quartidecimi sæculi silentio. Decimum igitur sæculum circensium factionum maturior quodammodo ætas haberi potest : opportunum sane tempus ad instituta earum inspicienda. In decimo præterea sæculo scriptus fuit liber qui de factionum constitutione ac descriptione plurima tradit : *liber* scilicet *de Cærimoniis aulæ Byzantinæ.*

Pacificus igitur rerum status, litterarum et documentorum copia, investiganti de factionum constitutione favere videntur.

I. — In decimo sæculo, ut in Romani imperii initio, ut in antiquæ Romæ, forsan et Etruriæ, originibus, quatuor factiones fuere.

At rectius æstimanti quatuor istæ ad duas tantum factiones reduci possunt. Quid mirum? Ut quilibet ludus animos nostros commovere valeat, duarum partium contentio sufficit; quatuor partium conflictus frigeret (1).

Itaque Albi nihil nisi Venetæ factionis pars quædam, Russati factionis Prasinæ pars fuerunt. Multi

(1) Quod optime sensit Müller, *De genio, moribus et luxu ævi Theodosiani*, t. III, p. 69 : « Postquam, sequiore ætate, factio Prasina Albam, Veneta Russatam absorpserat, ista in factiones studia, veluti inter pauciores divisa, majorem acquisiverunt vim ».

officiales et majori et minori cujusque factionis parti communes fuere. Exemplorum gratia, neque Albis, neque Russatis suus ac proprius *Democrates*, *Demarchus*, *Deutereuon*, *Chartularius*, *Poeta*, *Melistes*, fuit : sed unus et idem Albis atque Venetis, unus et idem Russatis atque Prasinis Democrates fuit, aut Demarchus, Deutereuon, etc.

In omnibus fere Byzantinarum litterarum monumentis hujus rei testimonia reperiuntur. Sic in anni 946 circensibus, a Constantino VII in Arabum honorem editis, sedebat in Albæ factionis gradibus Venetus Demarchus ; in Russatæ Prasinus (1).

Imo Russatorum atque Alborum nomen aliquando non enuntiatur. Aliquando hippicæ partes sic nuncupantur : *Piratici* Veneti, *Politici* Veneti ; *Piratici* Prasini, *Politici* Prasini (2) ; aut, si placet, Veneti in transmarinis partibus, Veneti in ipsa Urbe habitantes, etc. Urbani igitur Veneti aut Prasini suburbanis Venetis ac Prasinis, Peram et Galatam sive Sycas et Chalcedonem habitantibus, ex opposito ponuntur (3).

Prasini autem ac Veneti *Piratici* nihil erant nisi proprie Prasini ac Veneti ; Prasini vero ac Veneti *Politici* idem ac Russati Albique fuere (4).

Suburbani nempe Prasini aut Veneti, e littore ac

(1) *Cærim.* II, 7, p. 536; II, 15, p. 589.

(2) ὁ πειρατικὸς δῆμος τῶν Βενέτων ; τὸ μέρος τῆς πολιτικῆς τῶν Βενέτων ; τὸ πειρατικὸν μέρος τῶν Πρασινων ; τὸ μέρος Πρασίνων τῆς πολιτικῆς. *Cærim.* I, 17 p. 105 et suiv.

(3) Cf. supra, p. 30. Multi Venetorum nempe ac Prasinorum trans Aureum Cornu ac Bosporum sedem habuere. Apud Theophanem jam de *piraticis partibus* agitur : πειρατικῶν ταγμάτων. Theoph. Contin. in Theophilo, c. 43, p. 142.

(4) Eumdem *Cærimoniarum* locum inspice, et cum aliis locis confer.

maritimis regionibus conscripti, nautæ præcipue ac bajuli, rudes ac violenti viri, erant : audacia et temeritate urbanos mercatores aut opifices multum superabant, majoremque Imperatori terrorem incutiebant. Itaque urbanis Russatis atque Albis *Demarchi* tantum, suburbanis vero Prasinis ac Venetis *Democratæ* præpositi ab Augusto delegabantur. Democratæ autem Demarchis officio et dignitate superiores fuere.

II. — In quaque factione tria distingui oportet. 1° οἱ δημόται proprie nuncupati, quorum nomina ἐν τῇ χάρτῃ seu laterculo factionis inscripta manebant, quique militaribus officiis fungebantur; 2° omnis aurigarum, saltatorum, agasonum, cæterorumque officialium turba, quibus curæ erat populum Romanum circensibus spectaculis delectare; 3° denique omnes Byzantini cives, qui neque in *charta* ulla inscripti, neque officio ullo fungentes, factioni tamen alterutri studebant.

III. — In *Cærimoniis* οἱ δημόται curiose a reliquo populo discernuntur : 1° in loco *de Nobilissimi promotione*, hæc tria enuntiantur : *factiones, cives, milites* (1).

2° Si nascitur e prole imperatoria porphyrogenitus, jubetur Præpositus Sacri Palatii ad proclamandum per urbem infantis nomen, ducentos viros eligere : quinquaginta ex *tagmatum* militibus /excubitoribus, scholaribus, numeris, etc.), centum ex utriusque factionis δημόταις (quinquaginta igitur Venetos et quinquaginta Prasinos), quinquaginta denique ex civibus : ἐκ τῶν πολιτικῶν (2).

(1) καὶ τὰ μέρη, καὶ οἱ τῆς πόλεως, καὶ τὰ στρατεύματα. *Cærim.* I, 44, p. 226.

(2) *Ibid.* II, 21, p. 617.

3° Omitto multa auctorum loca, a Reiskio studiose collecta, repetere : unde patet cives semper a *demotis* diversos fuisse (1).

4° In Philothei *Cletorologio* (2), in quo omnes Sacræ Hierarchiæ officiales, a maximo ad minimum enumerantur, οἱ δημόται sed non οἱ πόλιται nuncupantur. Illi, non hi, dictæ Hierarchiæ partes erant (3).

5° In sexto sæculo, quum circensibus simultatibus universum imperium convellebatur, atque una die quinque et triginta aut quadraginta civium millia in Hippodromo trucidabantur, in utriusque factionis charta vix duo millia et quadringenti δημόται inscripti reperiebantur (4).

6° Hæ chartæ decimo etiam sæculo in usu erant. Sacri Palatii Præpositus civicorum illorum militum (*politicæ taxeis*) nomina in laterculo quodam, ἐν κώδηξιν, apud se asservabat; aliud autem laterculum in secreto *Idici*, sive Rei Privatæ, retinebatur : in quo quid cuique *demotæ* pro *roga* debebatur legere erat, quique ἀκρόστιχον τῆς ῥόγας nuncupabatur. Hanc *rogam* Præpositus in propriis ædibus *demotis* erogabat, ut diligenter officio incumberent hortabatur, a *chartulariis* utriusque factionis peccantium nomina inscribi jubebat. Si quis ex *demotis* vita defunctus fuerat, Præpositi et officium et lucrum erat, alium in defuncti locum substituere.

Nam decimo sæculo in factione quaque numerus *demotarum* finitus erat; defuncti successio magni emebatur.

(1) Reisk, *Notæ ad Cærim.* p. 28.
(2) Quod in *Cærim.* II, 52, integrum transcriptum servatur.
(3) *Cærim.* II, 52, p. 720 et 738.
(4) Cf. pag. 33. — Codinus octo millia demotarum imperante Theodosio II fuisse testatur.

Cæterum in Byzantino imperio officia omnia, a primis ad infima, venalia fuere.

At vitiosa quædam consuetudo in factionum administrationem irrepserat. Nam Logothetes Rei militaris, Prætorum officium et jus invaserat, solebatque in factiones homines suos inscribere, qui *rogam* quidem accipiebant, nullis vero excubiis fungebantur: suos, nullis suis impensis, sed maximo factionum dignitatis ac disciplinæ detrimento, remunerabat.

*Demotæ* igitur non communi, sed peculiari juridictioni subjecti jacebant. Quod ad militaria ministeria attinet, a *gitoniarchis*, a *demarchis* et *democratis*, ab *Eparcho* pendebant; quod ad stipendium et militum supplementum, a *chartulariis*, ab *Idici* secreto, a *Præposito Sacri Palatii*; *Logothetes* vero *Rei militaris* aliena jura occupaverat (1).

IV. — Perdurabat imperatorum in Venetos antiquus favor. 1° In omnibus Palatii cærimoniis et in qualibet pompa, priores Veneti Imperatorem acclamationibus excipiebant (2).

2° Ex Hippodromi cathismate, ludorum initio, priores Venetos Imperator cruce signabat (3).

3° Domesticus Scholarum, Venetis ut Democrates addictus, Domestico Excubitorum, qui Prasini Democratæ personam sustinebat, dignitate superior fuit (4).

4° In omnibus *catalogis*, ut in Philothei *Cletorologio*, Veneti officiales priores Prasinis nuncupantur.

(1) *Cærim.* II, 56.
(2) *Ibid.* I, 17.
(3) *Ibid.* I, 68, p. 307.
(4) *Ibid.* II, 52, p. 727-728.

5° Michaël III veneto sago indutus currus agitabat.

6° In circensibus a Constantino VII in legatorum Arabum honorem editis, ad majorem hospitum gloriam, vicit Veneta pars (1).

V. — Ad factionum igitur magistratus, ad magistratuum nomina, dignitates, officia transeamus (2).

1° Legitimus Venetorum Democrates, ut jam supra vidimus, Domesticus Scholarum ; Prasinorum, Domesticus Excubitorum.

Aliquando tamen aliis magnatibus officium suum delegabant. In *Ludorum Gothicorum* solennitate, apud Venetos, *Drongarius classis*, apud Prasinos, *Drongarius Vigilum*, Democratarum partes sustinebant (3). In illa Constantini VII jam sæpius dicta equestri solennitate, Domestici Scholarum *Domesticus Numerorum*, Domestici Excubitorum *Domesticus Longi Muri* locum tenebant (4).

2° Ambo Democratæ *Anthypatorum*, id est Proconsulum, classi adscribebantur. Inferiorem vero in Sacra Hierarchia gradum Demarchi obtinebant : Protospathariorum tantum dignitate gaudebant (5).

(1) *Cærim.* II, 15. p. 590. — Cf. tamen I, 69, p. 325.

(2) De his omnibus præcipue inspicienda sunt, *Cærim.* II, 52, p. 720, de Demarchi *officio* ; II, 52, p. 732, 737, 738, de dignitatum ordine ; II, 55, p. 798 et seqq. de *consuetudinibus* circensium officialium cuique debitis.

(3) *Cærim.* I, 83, p. 381.

(4) *Ibid.* II, 15, p. 588, anno 946.

(5) *Ibid.* II, 52. Distinguere necesse est in rebus Byzantinis officium ac dignitatem : officia erant, exempli gratia, Domesticatus Scholarum, Excubitorum, Numerorum, etc. Democratia, Demarchia; dignitates erant Magisterium, Patriciatus, Anthypateia, Protospathariatus, Spathariatus, etc. Illi dignitatum gradus Russicæ nobilitatis gradibus (quod *tchin* vocatur) optime respondent.

Lydo auctore, idem ὁ δήμαρχος atque ὁ τριβοῦνος fuere (1). Multa enim, in *Cærimoniarum* libro, loca reperiuntur, in quibus, quum *tribuni* titulus enuntiatur, de Demarcho certe agitur (2).

Pauca Demarchorum nomina ab auctoribus nobis servata. Theodosio II imperatore, Mandalas, Venetorum, Charsias, Prasinorum Demarchus; imperante Mauricio, Cosmas Venetorum, Sergius Prasinorum Demarchus fuit (3); regnante Phoca, Prasinis præerat Joannes Krukis, qui vivus, anno 603, combustus est; Theophanes ac Pamphylus, quos rusticus princeps tantum non decollavit, instaurandis mœnibus præfuere (4).

3° Ut cæteris Byzantii magnatibus suus cuique aut δευτερεύων aut *topoteretes* erat (5), ita Demarcho cuique suus fuit *Deutereuon ;* minimi sane momenti persona : nam ad infimum dignitatum gradum, *hypatorum* scilicet, sive consulum, pertinebat (6). Sex et triginta *nomismata* pro *consuetudine*, in cujusque Patricii promotione, accipiebat Demarchus : unum tantum Deutereuon (7).

4° *Gitoniarchæ* sive *Regionum capitanei* sub Eparchi dispositione, idem ac sub Demarchi dispositione stetisse reperiuntur (8). Utriusque igitur *officii* sive τάξεως pars erant.

(1) Lydus, *de Mensibus*, IV, 25, p. 65.
(2) *Cærim.* I, 69, p. 312, p. 331.
(3) Codinus, *de ædif.* p. 228. — Theoph. Simocatta, VIII, 7, p. 327.
(4) Theoph. a. 6099, p. 454. — Codin. *de offic.* c. 6, 27, de XIV, sæc. Demarchis.
(5) *Cærim.* II, 52, p. 716.
(6) *Ibid.* II, 52, p. 737.
(7) *Ibid.* II, 55.
(8) *Ibid.* II, 52, p. 717, 720.

Ad imperatoria convivia, die post Pascham septima (1), item in Christi Natalibus (2), admissi gitoniarchæ duodecim numero sedebant, quanquam Urbi quatuordecim *gitonias* sive regiones fuisse constat. Præterea in pluribus ***Cærimoniarum*** locis (3) unus tantum gitoniarcha indicatur : nec mirum, quum sæpe apud Byzantinos singuli pro pluribus ponantur.

5° Factioni cuique *chartularius* unus erat : cujus officium fuit *chartas* sive *codices* factionis asservare, utque exacte demotæ excubiis cæterisque ministeriis incumberent, invigilare (4).

6° Juxta chartularios, *notarii*. In locis quibusdam de uno (5), in aliis de pluribus notariis (6) apud quamque factionem agitur. Chartularius e notariis eligi solebat (7); his ille superior (8). Sæpe notarius chartularii partes sustinebat. (9). A quibusdam catalogis (10) abest notarius.

7° In Byzantinis exercitibus ἐπιστάται erant, quorum officium fuit vigilias circumire et militares excubias revisere (11). Nec non in factionibus (12). Aderat nempe Epistates quum novo officio investiretur ab Imperatore bigarius, quum urna in sortiendis equis curri-

(1) *Cærim.* II, 52, p. 772.
(2) *Ibid.* p. 750.
(3) *Ibid.* I, 55, p. 269 ; II, 55.
(4) Simocatta, VIII, 7, p. 327. — *Cær.* II, 52, p. 720; II, 56. — Cf Ducangium, *Gl. gr.* et *Gl. lat.*, v. *chartularius*.
(5) *Cærim.* I, 55, p. 271 ; I, 56, p. 272.
(6) *Ibid.* II, 52, p. 720.
(7) Lydus, *de Magistr.* III, 20, p. 213.
(8) *Cærim.* II, 52, p. 720.
(9) *Ibid.* I, 55 et 56, p. 271-272.
(10) *Ibid.* II, 55, p. 798.
(11) *Ibid.* appendix, p. 481.
(12) *Ibid.* I, 69, p. 313, 330, 333, 337.

busque agitaretur, quum invalidus equus examinandus adduceretur. A Demarchone et factionibus, an ab Eparcho aut Præfecto Sacri Palatii pependerit, factionisne minister an Imperatorius officialis fuerit, incertum est.

8° Ut Palatium (1), ita Hippodromus suos μανδάτορας habuit (2), qui Demarchi aut cæterorum officialium ad congregrandos milites, ad requirendos aurigas mandata perferrent : iidem sane fuerunt ac Romani *viatores* (3).

9° Quid fuerint μαΐστορες non satis constat. *Magistrum, factionarium*, in antiquis monumentis idem fuisse patet (4). Decimo autem sæculo *factionarium*, id est *heniochum*, aurigarum primatem, idem fuisse ac μαίστορας non credam : nam in *Cærimoniarum* uno eodemque loco, hinc *heniochi*, hinc ambo *maïstores* in quaque factione nominantur (5).

Præterea satis diversis officiis functos fuisse *maïstoras* testatur idem liber. Nam, cum aliis officialibus, inspiciendis equis curribusque vacasse (6); cum notariis factionis, ad Imperatorem aut latina verba quibusdam festis diebus (7), aut solitas acclamationes (8) decantasse; ipsosque in *Triclinio XIX accubituum*, quum *Ludi Gothici* celebrarentur, cum certo *demotarum* et πανδουρίστων (9) numero adfuisse deprehenditur (10).

(1) *Cærim.* II, 55.
(2) *Ibid.* II, 52.
(3) Bulengerius, ap. Græv. t. IX, p. 686, c. 44. — Panvinius, I, 15. — Ea ibi inscriptio legitur : N. VIATORI.
(4) Inscr. apud Panvinium, I, 10.
(5) *Cærim.* I, 69, p. 311.
(6) *Ibid.* p. 311, 333.
(7) *Ibid.* I, 1, p. 26-27.
(8) *Ibid.* I, 71, p. 355.
(9) *Ibid.* I, 83, p. 381.
(10) Cf. pag. 96.

Cæterum duo tantum maïstores in quaque factione exstiterunt (1).

VI. — 10°, 11°. Poetæ officium erat versus, qui aut in magnatum recens promotorum honorem recitabantur aut Imperatori in exceptionibus sive ἐκδοχαῖς decantabantur, scribere; *musici* aut *melistæ*, scriptos versus symphoniæ accommodare.

Illorum poetarum nescio an ullus versus nunc supersit. Mediocres certe versus fuere, ut quos aulicæ Musæ, poetis raro secundæ, dictaverint. Sæpe extemporaneum carmen, in recens promoti officialis honorem, requirebatur : at quum illæ omnes cantilenæ idem fere sonabant, nihil prope in consuetis formulis nisi novi patricii aut proconsulis nomen mutandum erat. Quum enim patricius ab Imperatore balteum aut codices, novæ dignitatis insignia, accepisset, « *Cærimoniarum Magister* recens promoti nomen factionibus clam dicebat : hæ abibant et carmina, quæ promoto accini solebant, secundum nomen ejus conficiebant (2) ».

Nescio itaque an hujus farinæ poetis gratissima plerumque carmina, quæ in aurigarum honorem scripta in *Anthologia* nobis asservantur, tribuenda sint. Forsan et sexti sæculi poetæ, Porphyrii aurigæ coætanei, sequentis ætatis poetis multo superiores fuere, dignique qui tales versus in hujus laudem conderent.

At in *Cærimoniis* multi hymni inveniuntur, decimo certe sæculo anteriores, in quibus non parum poeticæ

(1) *Cærim.* I, 69, p. 311.
(2) *Ibid.* I, 47, p. 237.

vis vigere videtur (1). Forsan et, in feliciori ætate, hippicorum poetarum opus fuere.

Hos versus qui die resurrectionis Christi decantabantur, a pindarico genio quanquam paululum degeneres, laudare liceat :

« Qui cum Patre in æternum regnat, quique in ultimis terrenæ vitæ diebus cum hominibus conversatus fuit, quique cruci alligatus tartarum et mortem captivam duxit, post triduum resurgens mortuis resurrectionem renovat. Ipse cornu vestrum, o Despotæ, barbaricis tropæis exaltabit (2). »

Hi vero antiquam potius paganorum Hellenum superbiam quam recentiorum Byzantinorum humanitatem redolent : « Qui capita draconum, o benigni principes, in Jordanis fluentis contrivit, ante pedes vestros, barbarorum capita conterat (3) ! »

12° Κράκτου aut cantoris, composita a poeta et melista, decantare carmina officium fuit. Quosdam versus solus recitabat, totusque factionis λαὸς, sive populus, eosdem versus aut sequentes concordi voce concinebat (4).

13° Cuique factioni musicum organum, seu ὄργανον, proprium erat, argenteum, satisque expeditum quod aut in Circo, ad metas Prasinorum Venetorumque, depone-

(1) Quamvis Byzantios, doctissimus rerum Constantinopolitanarum scriptor, hujusmodi hymnos se contemnere non dissimulat ; καὶ ὁποίους ὑμνους ! exclamat. T. I, p. 227.

(2) Ὁ ἀχρόνως τῷ Πατρὶ συμβασιλεύων ἐπ᾽ ἐσχάτων τοῖς ἀνθρώποις χρονικῶς συνανεστράφη, καὶ ἐν τῷ σταύρῳ τὸν Ἅδην καὶ θάνατον αἰχμαλωτίσας, τριημέρῳ αὐτοῦ ἐγέρσει τοῖς νεκροῖς τὴν ἀνάστασιν ἐγκαινίζων, αὐτὸς τὸ κέρας ὑμῶν, Δεσπόται, ἀνύψωσει ταῖς νίκαις κατὰ βαρβάρων. *Cærim.* I, 4, p. 44.

(3) *Ibid.* I, 3, p. 42.

(4) *Ibid.* I, 38, p. 195 ; I, 39, p. 196, 200 ; I, 40, p. 205, etc. — Cf. Krause, *die Byzantiner*, p. 122.

retur, aut in Sacri Palatii Phialas, canentibus et saltantibus coram imperatore *demotis* moderaturum, transferretur (1). Mos erat ut Sclavini quidam organa inflarent (2).

14° Nec organorum tantum sed et πανδούρων modulationes οἱ πανδουρισταί factionum cantibus miscebant (3).

15° Suos præterea pictores sculptoresque aut fictores habuere factiones, qui lauratas Imperatorum imagines, ad Circi ornamentum, fabricarent. In *Cœrimoniis* εἰκασταί, apud Theophanem γραμμισταί nuncupantur ; narranturque Phocæ, fabricatis generi ac filiæ ipsius imaginibus, vehementer stomachum movisse (4).

Quorum artificum opus aliquod superesse quis asseverare possit? In *Sanctæ Irenæ Musæo* non pauca anaglypta asservantur, in quibus sedentium in Cathismate Hippodromi imperatorum imagines, et currentium equorum aurigarumque, et camelorum et struthiocamelorum cæterorumque animalium, quæ in circensibus venationibus agitabantur, figuræ exprimantur (5). Et quamvis rudis omnino et prope informis sculptura videatur, non satis est ut hippicorum nostrorum γραμμιστῶν opus esse affirmetur.

16° Inter Demarchos, Deutereuontes, Epistatas, Gitoniarchas, etc. et gregarios demotas, multi viri medii fuere,

(1) *Cærim.* I, 72, p. 363; I, 64, p. 287; II, 15, p. 585.

(2) *Ibid.* I, 72, p. 363. — De organis, Sabatier, *Méd. contorn.* pl. X.

(3) *Ibid.* I, 83. Pandura aut tibiæ genus aut trichordis quædam lyra fuisse videtur Martianus Capella, ed. Kopp, p. 702, *nota*. — Sabatier, *ibid.*

(4) *Ibid.* II, 15, p. 590. — Theoph. a. 5099, p. 454. — Apud Byzantinos ἀναγράφεσθαι *statuam erigere* aut *cudere* significabat : *Anthologia græca*, Brunck, t. III, p. 253, *epigramma* 58 *in stelas athletarum*, v. 5. — Quid mirum si γραμμισταί sculptores fuerint.

(5) Albert Dumont : *Le Musée de Sainte-Irène.*

qui apud auctores quosdam τὰ πρωτεῖα (1), οἱ κορυφαιότεροι (2), οἱ ἐπισημότεροι (3) aliquando nuncupantur, viri sane qui nulla dignitate aut officio fungerentur, opulentia tamen, aut eloquentia, aut fortitudine audaciave, notabiles viderentur.

VII. — Aurigantium in Circo duæ classes erant: ad superiorem *Heniochi*, ad alteram ***Bigarii*** pertinebant (4). Non quod hi bigas tantum, illi quadrigas agitaverint: nam idem in decimo sæculo quadriga, biga aut etiam triga (5) significabat; solæque quadrigæ in usu apud hujus ætatis Byzantinos erant (6).

Heniochi inter bigarios optimates erant : bigarii, si cum heniochis compararentur οἱ λοιποὶ βιγαρίοι appellabantur (7).

Bigariorum numerus non definitus : at heniochorum definitum fuisse numerum, et quatuor tantum aurigas, unum scilicet in quaque factione, hoc titulo gloriatos fuisse crediderim (8).

(1) *Cærim.* II. 52, 720; I, 69, p. 337; I, 71, p. 355. — Theoph. 6098, p. 453.

(2) Simocatta, VIII, 9, p. 455.

(3) Theoph. a. 6094, p. 446.

(4) Ἡνίοχοι, βιγάριοι.

(5) *Cærim.* I, 69, p. 313.

(6) *Ibid.* passim. — Cf. tamen I, 71, p. 353.

(7) *Ibid.* II, 15, p. 589.

(8) Quatuor ne in universum, unus in quaque factione, an plures heniochi exstiterint non tamen omnino liquet. Ex una parte, hæc considerare oportet :

1° Quatuor tantum Aurigæ, quibus plaudere quatuor factiones dicuntur, Prasini Olympius et Anatellon, Veneti Uranius et Icarius, in *Cærimoniis* nuncupantur (*Cærim.* I, 71, p. 350).

2° In antiquioribus inscriptionibus, *aurigæ*, *aurigatori*, *agitatori*, *factionario*, quæ verba, Bulengerio auctore, idem significabant (Bulen-



BIBLIOTHÈQUE IMPR.

Ex ea ad illam classem per Imperialem investituram promovebantur; bigariusque in heniochum promotus, veste (δημόσιον), galeaque argentea (venerabile καττίδιον), et zona, quæ solis heniochis peculiaria fuerunt, induebatur (1). Heniocho privilegium erat, exclusis bigariis, post victoriam in curru tripudiare (2).

Aurigæ apud Byzantinos maximum locum obtinebant. Nihil fere quod iis animos addere posset, neglectum. His privilegia, his severiorum quarumdam pœnarum, his graviorum tributorum immunitates legibus et imperatorum edictis tribuebantur (3).

In Hippodromo illustriorum aurigarum signa erigebantur (4).

Quorum in basi laudatoria epigrammata legebantur.

gerius, c. 44, p. 686), adjiciebantur vocabula : *primo* et *soli* (Panvin. I, 10).

3° Prasinus et Venetus heniochus decimo sæculo, soli erant qui *factionarii* titulo gloriarentur. Albus et Russatus heniochus *micropanitæ* tantum nominabantur. *Factionarii* ambo *majora vexilla*, *micropanitæ* ambo *minora*, id est minorum factionum, *vexilla* gestabant (de quatuor πανίοις, cf. *Cær.* I, 69, p. 336).

Micropanites ὁ δεύτερος quoque nominabatur : ut qui factionarii quodammodo locum teneret, minoresque quam factionarius *consueludines* accipiebat (*Cærim.* I, 69, p. 328-329; II, 55).

4° In quibusdam locis de quatuor tantum *heniochis* agitur; in iis demque locis quum factionariorum et micropanitarum nulla mentio sit (*Cærim.* I, 69, p. 336-337 — II, 15, p. 589), fatendum est quatuor illos aurigas nihil nisi micropanitas ambo et factionarios ambo fuisse.

Ex altera tamen parte, aliquid nostræ opinioni derogare videntur, subjecta loca : 1° ægrotanti factionario aut micropanitæ aliquem e sua factione in vicem suam heniochum, qui tum vicarius dicebatur, eligere licet (*Cær.* I, 69, p. 334) ; 2° de quinto etiam heniocho mentio incidit : ὁ πέμπτος ἡνίοχος (*Ibid.* p. 335).

(1) *Ibid.* I, 69, p. 329-331.

(2) *Ibid.* p. 329.

(3) *Codex Theodos.* XV, 5, 7; XIII, 10. — *Codex Justin.* XI, 40.

(4) In omnibus etiam Urbis locis, si invidia Imperatorum sivisset, erecta fuissent. *Ibid.* — De Trajani, Gratiani edictis, Sabatier, p. 2.

In Thomæ cujusdam signo hoc unum scriptum fuerat, quod laude ipsa melius hominem laudabat : ipsius scilicet nomem : Θῶμα ἡνιόχος (1).

Aurigarum nomina reipsa per hominum ora volitabant. Quam sæpe Uranio, Olympio, Anatellonti, Icario, acclamatum fuerit, testantur *Cærimoniæ* (2).

In aurigarum honorèm nomismata etiam cudebantur : sic ære incisa, Euthymii, Stephani, Cervontii, Ursi, Petronii, Pannonii, etc. nomina ad posteros pervenere (3).

Lapides insculpti Diocletis, Avileii, Terentii, Russati, Communis, Venusti, Pontii, Epaphroditi, Polyphemi, Aurelii, nomina aut facinora nos docuere (4). Scorpum, Tigridem, Passerinum cecinerat Martialis : at Julianici aurigæ qui anno 563 in Circo occubuit, Calliopæ aurigæ, qui, imperante Anastasio, seditionem Antiochiæ movit, Byzantini historici famam non dedignati sunt (5).

Quisquís erat Byzantii delicatus atque ingeniosus poeta, hoc unum agebat ut principibus illis Hippodromi facetis versibus blandiretur : neque enim apud nos illustri cuilibet aut cantatrici aut comœdæ tantopere adulatum, quam apud Byzantinos aurigis. In honorem Veneti ἡνιόχου, Porphyrii Calliopæ (6), tria et triginta epigrammata ; Juliani, Russati, tria ; Constantini, Prasini, sedecim ; Faustini, Prasini, quatuor ; Uranii, Russati,

(1) Gyllius, II, 13, p. 378.
(2) *Cærim.* I, 71, p. 350.
(3) Reiskius, *Notæ*, p. 316. — Sabatier, *Médaillons Contorniates*, p. 30.
(4) Panvin. I, 10. — Buleng. c. 27, p. 647.
(5) Malalas, p. 395 et 495.
(6) Porphyrium et Calliopam unum virum fuisse demonstrat Brunck, *Anthologia*, t. XI, p. 27 et 36 ; et epigram. 20, *ibid.* III, p. 243, versus 4. — Hunc non minus in bellicis quam in equestribus certaminibus

quinque; Eusebii cujusdam unum, ad nos pervenere (1). Sed, Byzantinorum prosperis rebus, quanto plura in marmoreis signorum basibus legi potuerunt epigrammata !

Aurigis poetæ ut *divinis* (2), ut *immortalibus* invictisque et de morte etiam atque tartaro triumphantibus (3) adulantur ; memorantque defuncto Constantino aurigæ, ut liberatori cuidam patriæ, « principem ac populum, veneratione commotos, immortali edicto, signum excitavisse (4) ».

Hæc tantum carmina Porphyrio dicata laudare liceat : quarum blanditiarum intemperantia satis superque erat ut Septem etiam Sapientibus, nedum misello aurigæ, cerebrum moveret :

« Anchisem Cytherea, Endymiona Diana amavit : ita nunc et Victoria Porphyrium (5). »

illustrem fuisse, principique adversus nescio quem usurpatorem (Zenoni forsan adversus Basiliscum) cum cæteris Prasinis auxiliatum fuisse testantur Epigrammata 21, 22, 30. Brunck, t. III, p. 243 et 245.

An idem fuit Porphyrius atque Calliopas ille, Anastasio coætaneus et Antiochenarum seditionum præcipuus instigator, de quo Malalas, p. 395, incertum. Illa certe epigrammata in Porphyrium in quodam quadrangulari monumento inscripta fuere, multis anaglyptis decorata, ipsam Porphyrii imaginem quadrigarum concursus, præmiorum distributionem exprimentibus. Quod monumentum nunc etiam superest. Albert Dumont, *Le Musée de Sainte-Irène*, p. 19.

(1) *Anthologia græca*, édit. Brunck, t. III, p. 238-254. — Edit. Jacobs t. II, p. 616 et seq. — Banduri, *Imp. Orient.* l. VII.

(2) Καλλιόπα ζαθέας Epigr. 30, v. 2, p. 245.

(3) Ἄφθιτε Κωνσταντῖνε θανεῖν δὲ σε μὴ τις ἐνίσπῃ·
Των γαρ ἀνικήτων ἅπτεται, οὐδ', Ἀΐδης.
Epigr. 45, p. 249.

(4) Epigramma 41, Brunck, p. 248 :

....ἀειμνήστῳ τινὶ θεσμῷ
Δῆμος καὶ βασιλεὺς ἵδρυσαν ἀζόμενοι.

(5) Epigramma 3, Brunck, p. 239.

« Quum sera natura Porphyrium peperit, tale jusjurandum, ore perjurii nescio, juravit : « Iterum parere « non possum ! » Nam Porphyrium primum et unum omni lepore donavit (1). »

Quid mirum si quotidie in Circo, laudum cupidi, vitæ ac membris non parcerent ? Quid mirum si per fas et nefas victoriam sibi parere cupirent? Quid si ad magicas etiam artes confugerent ? Nihil notius quam Hilarionis cujusdam, Romani aurigæ, supplicium, capitis a Præfecto Urbi Aproniano damnati, « quod filium suum venefico tradidisset docendum artium nefariarum secreta, legibus interdicta, ut, nullo conscio, adminiculis juvaretur internis » (2).

Sed quis victo aurigæ persuadere valeret, victorem « nefariis artibus » et « internis ac magicis artibus » usum non fuisse ? Itaque agitatores qui pejorem fortunam experti fuerant, adversus feliciores, quibus diabolum auxiliatum fuisse arbitrarentur, cultro et sica et nocturnis insidiis rem agere. Multi, ob falsum hujusmodi crimen, necati. Hæc igitur homicidia ut compesceret, legem Theodosius I tulit : quæ præcipiebat « quod si quis ex *aurigatoribus*, id est aurigis, ..... clandestinis insidiis, quemquam, etiam manifestum reum maleficæ artis, oppresserit, ultimum supplicium non evaderet » (3). Quæ tamen non ita cruentam illam ac stultam superstitionem

(1) Epigramma 24, *ibid.* p. 244.

..... ὅπερ φύσις ὀψὲ τεκοῦσα
Ὤμοσεν· Ὠδίνειν δεύτερον οὐ δύναμαι,
ὤμοσεν εὐόρκοις ὑπὸ χείλεσι. Πορφυρίῳ γαρ
Πρώτῳ καὶ μούνῳ πᾶσαν ἔδωκε χάριν.

(2) Amm. Marcell. l. XXVI. — Hieronymus, *in Hilarione*.
(3) *Codex Theod.* IX, 16, *de maleficiis*.

ex invidis aurigarum animis eradicavit, ut eamdem legem in suo *Codice* Justinianus, in suis *Basilicis* Leo Sapiens repetere non cogerentur (1). A quarto igitur ad decimum sæculum aurigarum æmulatio usque ad scelus etiam irritata.

VIII. — In *Cærimoniis* multi etiam alii, minores quidem, officiales nominantur :

1° Hippodromi *decani*, qui pedestribus cursibus præerant, et satis magnas *consuetudines* accipiebant (2) ;

2° *Cursores*, qui prohibebant ne spectatores in arenam irruerent (3) ;

3° *Custodiarius*, qui *velum*, quod in Hippodromo, ut signum proximi spectaculi, suspendebatur, apud se asservabat (4) ;

4° *Theoretæ*, qui agitata urna currui cuique locum sortiebantur (5), currusque atque equos, an validi essent, inspiciebant (6) : his omnibus rebus conficiendis præsidebant, manu *calamaria* tenentes, plena chartarum et calamorum (7) ;

5° Officiales τῆς κυλίστρας (8), qui urnam agitabant (κυλιεῖν) ;

6° σημειωταί et διασημειωταί quibus officium fuisse videtur aut sorticulæ signa apponere, aut signatam resignare(9) ;

(1) *Codex Justin.* IX, 18, 9. — *Basilica*, LX, 39, 35.
(2) *Cærim.* II, 55 ; I, 72, p. 363.
(3) *Ibid.* I, 72, 363. — Cf. pag. 81.
(4) *Ibid.* I, 69, p. 310.
(5) *Ibid.* p. 313, 337-338.
(6) *Ibid.* p. 311, p.
(7) *Ibid.* I, 71, p. 352.
(8) *Ibid.* I, 69, p. 313 ; II, 55,
(9) *Ibid.* II, 55. — Apud Ducangium, *Glos. gr.* σημειώτης, *qui vexillum fert*, interpretatur ; et tamen loci nostri hæc duo verba invicem conferri debent.

7° *Combinographi*, quorum unus Venetæ, alter Prasinæ partis, tertius Imperatoris erat, quique, quibus modis aurigæ atque equi et currus inter se conjuncti fuerint, perscribebant (1) ;

8° *Stablesiani*, stabulis præpositi (2) ;

9° *Manganarii* qui cancellos seu *mangana* collocabant, quibus equi aut cursores, signo nondum dato, prorumpere prohibebantur (3).

10° ἀφέται, θυρανοίκται, ἀφετοθυρανοίκται, aut ut ait Chrysostomus θυρεπανοίκται, qui portas aut cancellos aperire, equos, quos fræno tenebant, emittere debebant : peritus *aphetes*, qui opportunissimo momento emittere equum sciret, pretiosa res erat, quam aurigæ sibi invicem non libenter commodabant (4) ;

11° et 12° *Argyrus vestiarii et argyrus coronarum*, quibus vestes coronasque apud se asservare officium fuit (5) ;

13° ὁ νεανίσκος, id est, juvenis, puer aut servus (6) ; 14° ὁ μαξιλάριος, qui pulvinaria, ut videtur, spectatoribus substernebat (7) ; 15° ὁ ἀπὸ τῆς κρίσεως ; 16° ὁ χαμαιτριβοῦνος ; 17° protovectarii ; 18° protopalarii (παλεῖν, luctari ; πάλλα, pila ?) ; 19° ὁ νουμεράριος (8) : quorum, cum ip-

(1) Theoph Contin. in M. III, c. 36, p. 198. — *Cærim.* II, 55 ; I, 69, p. 312.

(2) *Ibid.* I, 69, p. 310.

(3) *Ibid.* II, 55 ; I, 69, p. 312 ; I, 72, p. 363.

(4) *Ibid.* I, 69, p.336-339. — Chrysost. apud Bulengerium, c. 44, p. 686.

(5) *Cærim.* II, 55. — Cf. supra p. 75-76. Nihil in Ducangio quod ad locum faciat.

(6) *Cærim.* II, 55. — Abest in Ducangio, sed in neo-græco-germano Lexico, Lipsiæ edito, adest hoc verbum.

(7) *Ibid.* II, 55 ; I, 71, p. 352. — In Ducangio μαξιλάριον, μαξιλάρι cervical, pulvinar.

(8) *Cærim.* II, 55. — Cf. Ducangii utrumque glossarium : numerarius certe in pecunia aliquo modo tractanda versabatur ; sed quonam modo? hoc nescitur. Certe non vilis persona fuit : satis magnam consuetudinem accipiebat.

sorum nomina in uno loco inveniantur et ἅπαξ λεγόμενα sint, de officiis non satis constat; 20° σταυροφόροι qui cruces floribus contextas, quibusdam diebus solennibus, Imperatori offerebant (1).

Adde ex antiquioribus monumentis : 1° *conditores* et *succonditores*, ἀλείπτας et ipsorum δευτέρους, qui athletas aut equos ungebant ; 2° *spartores*, qui post cursum aut luctationem homines aut equos aqua spargebant ; 3° *tentores*, eosdem atque *aphetas*, qui equos tenebant ; 4° *sutores*, *fullones*, *sarcinatores*, *sellarios*, qui fortasse sub *argyro vestiarii* stabant ; 5° *procuratores dromi*, qui Hippodromum mundum esse curabant invadentemque turbam prohibebant : eosdem forte atque decimi sæculi *decanos* ; 6° *margaritarios*, qui forte, ut *argyrus coronarum* aurigarum coronas, aurigarum et margaritas, res sane publicas, asservabant ; 7° *villicos*, qui factionis equos ruri alebant ; 8° *medicos*, qui, tempore Galliani, gladiatores, sexto aut decimo sæculo, aurigas, quum fracti cruentique post circense naufragium ad phialam Hippodromi jacerent, curabant (2) ; 9° θηριοτρόφους, ἀρκτυκαρίους, ursorum, cæterarumque bestiarum (3) custodes, ut fuit Acacius, Augustæ Theodoræ pater (4) ; 10° *saltatores* : de quibus narrat Malalas consulem Longinum, Zenone imperante, quatuor saltatores factionibus donasse : Prasinis scilicet Autocyonem Caramallum quemdam Alexandrinum, Venetis Chrysomallum Rhodum, Russatis Helladium Emisenum, Albis Catzamyn Cyzicenum, *Margaritam* cognomine (5). Theodoricus, Ostrogothorum rex, quo circen-

(1) *Cærim.* I. 69, p. 326.
(2) De his omnibus Panv. I, 15. — Bul. c. 44, p. 686.
(3) Cf. supra, p. 96. — Sabatier, pl. VIII et IX.
(4) Proc. *Anecd.* 9, p. 59.
(5) Malalas, p. 386.

ses iras demulceret, saltatorem Helladium populo dedit (1). At sæpius iras irritabant quam mitigabant : Justino imperante, post innumeros tumultus, saltatores toto Oriente expulsi (2). Saltatoribus in quaque factione ὁ ὀρχηστὴς præerat (3). Ex eodem Cassiodori loco patet et pantomimos a factione quaque conductos fuisse. De mimis jam supra diximus (4). Nec dubium est factiones quum publicarum voluptatum delectationis totam curam assumpserint, et gladiatores et comœdos aluisse : quibus et comœdas addere licet : Augustam enim Theodoram, quæ in Byzantino theatro comœdæ partes, juvenilibus annis, gessit, Venetorum clientem fuisse testatur Procopius (5).

Neque mirari oportet tot in Byzantino Hippodromo officiales fuisse, quibus fere nullum officium fuerit, aut ea una cura urnam aut *inspicere*, aut *signare*, aut *resignare*. Hæc enim omnia officia venalia erant, magni a civibus emebantur, et quamvis minimas *consuetudines* et parum pecuniæ possessori reddèrent, hanc illi supremam gloriolam dabant, Sacræ Hierarchiæ partem quamdam, quamvis infimam, haberi. Nec in Byzantino tantum imperio : in antiquæ etiam Francorum monarchia, talia edidere spectacula vani hominum animi. Nescio an Byzantini *Officiales Culistræ, Theoretæ, Semeiotæ, Diasemeiotæ, Maxilarii, Neaniscos*, magis risum moveant merentur quam Gallicæ quondam Hierarchiæ *Hasteurs de rôt, Galopins, Conseillers du Roi vendeurs de fagots*, etc.

(1) Cassiod. *Var.* I, 32.
(2) Malalas, p. 417.
(3) ὀρχηστὴς τῶν πρασίνων, Proc. *Anecd.* c. 7.
(4) Cf. pag. 9.
(5) Procop. *Paneg. Anast.* c. 15-46, p. 506-507. — De mimabus Antiochensibus, quarum unam Nonnus episcopus, nomine Pelagiam, a. 435 pœnitentem Deo consecrat. Theoph. p. 141.

## CONCLUSIO.

Quod si factionum dissidiis et politicæ et religiosæ causæ defuerunt, necesse est fateri tantis tumultibus nihil nisi omnium futilissimas, hippicas scilicet, causas exstitisse.

Si Procopius auditur nihil nisi « vetus insania » et ψυχῆς νόσημα erat, « qua *nominibus* et *coloribus* illis ita sunt dediti Byzantini, ut eorum gratia fortunas profundant, corpora cruciatibus acerbissimis offerant, nec mortem defugiant vel turpissimam. » — « Cum adversariis digladiantur, *ignari causæ* cur in periculum se ac dimicationem conjiciant..... Illud ego verius nequeam appellare quam *animi morbum meramque insaniam* (1). »

Quid Agathias? factionum simultates « nihil nisi insanam περὶ τὰ χρώματα ἔριν » fuisse affirmat (2). « Otiosam tantum juventutem, quæ in potiore aliqua re non occupetur, in hæc *colorum* certamina vergere (3). »

« De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur :
« Nec facient quemquam pocula nostra reum »

Martialis ait. Coloribus favere, in hujus ætate, ludus erat, et quemque a periculosa negotiorum publicorum cura salubriter avertebat. At periculosiorem ipsis negotiis ludum Byzantina dementia effecit.

Sin autem inquiratur quibus magistratibus atque officialibus cujusque factionis ἡ τάξις sive officium constiterit, et multo plures fuisse qui ad Hippodromum tan-

(1) Proc. *Pers.* I, 17, 24. — F. Dahn : *Procopius von Cæsarea*, p. 324.
(2) Agath. IV, 14, p. 307.
(3) *Ibid.* IV, 21, p. 325.

tum et theatrum, quam qui ad militarem aut civilem rem pertinerent, pateat, fatendum est factionem quamque melius ad ludos quam ad civilia bella fuisse instructam.

Nec vera militia, nec verus populus οἱ δῆμοι fuere.

Milites certe fuerunt οἱ δημόται; sed pompatici milites. Nunquam adversus principem, nisi veris militibus destitutum, prævaluerunt; nunquam nisi, adjuvantibus castrensibus, principem in scutum erigere valuerunt. Theatrales illorum gladii et « vilia spicula, » ut ait Luitprandus, barbarorum et conductitiorum ensium vim sustinere raro valuerunt.

Ut primum Imperator seditiones hippicas esse noluit, deferbuit subito Hippodromus. In decimo sæculo nihil agunt demotæ nisi, inter aulæ byzantinæ solemnia, inanem pompam et vanos plausus ministrare. Hoc unum officium, adesse et clamare. Ex Imperatoris voluntate pendent, liberalitate victitant : iidem qui Urbem in quinto sæculo seditionibus et totum Imperium convellebant, nunc tantum ut in cærimoniis aulæ et in circensibus ludis omnia bene ordinata sint, curam suscipiunt. Hi veteres tumultuum artifices stipendium a Præfecto Urbis ad tuendam pacem accipiunt.

Non populus, sed imago populi, et palatina plebecula.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. id. Jul. ann. M DCCC LXIX,

*Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,*

PATIN.

Typis mandetur

*Academiæ Parisiensis Rector,*

Pour le Vice-Recteur :

*L'Inspecteur d'Académie,*

FILON.

# EMENDANDA ET ADDENDA

P. 25, l. 28, *lege : litras* (λίτρας).

P. 29, nota 1, *adde* Theodori Balsamonis testimonium, *Can. Trull.* c. 24, apud Goarium ad Codinum, *De Offic.* c. 6, n. 27, laudatum : « Factiones maxima libertate utebantur in Circensibus, quos, quo modo et quo tempore vellent, propriis impensis, edebant : proprios enim domos, propria stabula, quæ nunc etiam supersunt, habebant, reditibus ad impensas Hippodromi sustinendas fruebantur. Invitatus tantum erat imperator, sed nullam in iis auctoritatem habebat. »

P. 35, l. 22, *lege :* Unaque turris militarium opificum memoriam nomine ipso retinuit, prius Μυριάνδρος, postea Πολύανδρος, nuncupata. Cf. Codinus, *De ædificiis*, édit. de P. p. 26 ; de B. p. 47.

# INDEX LIBRORUM

Quod ad Byzantinos auctores spectat, quum *CORPUS SCRIPTORUM HISTORIÆ BYZANTINÆ*, Bonnæ editum, multo pluribus nunc ad manum sit, per paginas laudavimus. Quibus addere oportet :

CASSIODORUS, Variarum libri XII. *Lugduni, 1656, 4°.*

TERTULLIANUS, de spectaculis, *apud Grævium, t. IX, Panvinium, etc.*

MARCELLINUS, *Cancellarius Justiniani*, COMES *Illyrici* (t. 534 ?) : Chronicon, 379-534, *continuatum ab anonymo 534-566, in Sirmondi opp. t. II.*

EVAGRIUS, Historia ecclesiastica, *ed. Henricus Valesius. Paris, 1673, f°.*

THEODORUS CPus, *Anagnostes sive* LECTOR (cca 527). — *Ibid.*

*HISTORIA MISCELLA*, lib. XXVI, *ap. Muratori, t. I, p. 1-185, cum Canisii notis.*

ΠΑΡΑΣΤΑΣΕΙΣ ΣΥΝΤΟΜΟΙ ΧΡΟΝΙΚΑΊ, sive *Enarrationes chronicæ, ed. Combefis. Paris, 1664, 4° (et in Bandurio, t. I,* et Bonnæ, post Codinum, *De ædif.* p. 166).

ANONYMUS, De antiquitatibus CPis, *in Bandurii Imperio Orientali.*

*ANTHOLOGIA GRÆCA, ed. Brunck, Lipsiæ, 1794, — ed. Jacobs, Lipsiæ, 1813-1817.*

*CORPUS INSCRIPTIONUM GRÆCARUM, edidit Bœckh.*

GRÆVIUS, Thesaurus antiquitatum Romanarum, t. IX, *cum multis tabulis. Lugd. Batav. 1723-35.*

BULENGERIUS, De Circo, *ap. Grævium, t. IX.*

PANVINIUS, De ludis circensibus. *Ibid.*

DUCANGE, CPis Christiana. *Venise, 1680; f°.*

BANDURI Imperium Orientale, *2 f°. Paris, 1711, cum tabulis.*

CONSTANTIOS, *Patriarcha Byzantinus :* Κωνσταντινιάς. *8°, Venetiis, 1824.*

BYZANTIOS, Κωνσταντινούπολις. *In-4°, Athenis, 1851.*

BONDELMONTI, Florentinus (*viator circa 1414-1422*), Liber Insularum Archipelagi ; *Sinner ed. Lipsiæ et Berolini, 8°, 1824.*

GYLLIUS (Pierre Giles, *viator in anno 1429, Lugd. Batav. 1532*), Topographia, *apud Bandurium, Imperium Orientale, t. II.*

THEVET, Cosmographie du Levant. *Lyon, 1556* (*viator anno 1550*).

BELFOREST, Cosmographie universelle, *1572, 2 f°.*

TOURNEFORT, Relation d'un voyage fait au Levant. *Paris, 1717* (*viator 1700-1702*).

SPON et WEHLER, Voy. d'Italie, de Dalmatie, de Grèce et du Levant.

HAMMER, C. P. und der Bosporos, *2 8°, Pesth, 1822* (*viator anno 1799*). — *83 libros, gallicos, anglicos, germanicos, italicos de CPi et vicinis locis jam laudat.*

ARTAUD, Description d'une mosaïque représentant les jeux du Cirque. *Lyon, 1806.*

LABARTE, Hist. des arts industriels au moyen âge. *Paris, 1864; tabula III, in qua sive consul, sive imperator quidam, circensibus præsidens, ad eborini anaglypti similitudinem, exprimitur.*

SEROUX D'AGINCOURT, Histoire de l'Art par les Monuments, *t. IV, sculpture.*

TEXIER, Sur la Phiale ou fontaine de l'Hippodrome, *Revue archéolog., t. II, p. 112, année 1845-1846.*

*NOTICES ET EXTRAITS DES MSS* de la Bibliothèque impériale. *Paris, 1858, t. XIX; de Heronis Alexandrini manuscriptis.*

H. MARTIN, Recherches sur la vie et les ouvrages d'Héron d'Alexandrie. Paris. 1851, 4°, p. 284-304. — *In hoc et in illo libro, multa* de Circi *figura, partibus, mensuris inveniuntur.*

BRUNET DE PRESLE, Extrait d'une Notice sur les Tombeaux des Empereurs de CP. *Paris, 1856.*

BOURQUELOT, La Colonne Serpentine de CP. *XXXVII^e vol. de la Soc. des Antiq. de France.* (CPim invisit anno 1860.)

FOUCART, Mém. sur les ruines et l'histoire de Delphes. *In Arch. des Miss. scientifiques, 2^me^ série, t. II, 1865.*

LABARTE, Le Palais Impérial de CP. et ses abords, Sainte-Sophie, le Forum Augustéon et l'Hippodrome. *Paris, 1861, 4°.*

D^r^ DÉTHIER und D^r^ A. D. MORDTMANN, Epigraphik von Byzantion u. CP. von den aeltesten Zeiten bis zum Iahre Christi 1453. — *In Denkschriften der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, vol. XXX; Philos. hist. Classe. Viennæ, 1864. — Inspice præcipue tab. II et I, III, IV, de columna serpentina.*

SALAEDDIN-BEY, La Turquie à l'Exposition Universelle. *8°, Paris, 1867. — De serpentina columna restaurata, Parisiisque anno 1867 exposita,* p. 151.

A. DUMONT, Le Musée Sainte-Irène à CP. — *Paris, Franck et Durand, 1868;* ex *Revue archéologique.*

SABATIER, Classification générale des médaillons contorniates. *Paris, 1860, in-4°. Hæc nomismata in aurigantium honorem cusa, postquam iisdem imaginum et statuarum jus Gratianus abstulit.*

ERASME MULLER, *t. I*, de genio, moribus et luxu ævi Theodosiani, *Hafniæ, 1797, 8°; t. II, Gœttingæ, 1798.*

ERSCH et GRUBER, Encyclopædie, verbis Circus, Circenses, Hippodromus.

MAGNIN : Les Origines du Théâtre moderne, 8°, Paris, 1858.

WILKEN, Ueber die Parteyen der Rennbahn, vornemlich im Byzantinischen Kaiserthume (*Gelesen in der Akademie der Wissenschaften am 20 X^bre 1827*). *Mem. Academiæ Berolinensis nova series, 1827, p. 217-243.*

KRAUSE, Die Byzantiner des Mittelalters, *Halle, 1869, 8°.*

DE MURALT, Essai de Chronog. byzantine, *8°, St-Pétersbourg, 1855.*

Et cæteri.

Nancy, imprimerie de Sordoillet et fils.

133

ntorniates.
*um hono-*
*jus Gra-*

i Theodo-

Circenses,

, 1858.

ch im By-
*der Wis-*
*rolinensis*

*9*, 8°.
*tersbourg*,

let et fils.